




SCALA DE
CONCILIO
SAPIENTIS
ALDUS
1560
ALDINI
I
6
25
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
RACCOLTA NENCINI











OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874




DE CONSILIO SAPIENTIS, IN FORENSIBVS CAVSIS ADHIBENDO, LIBRI IIII.

A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTI.

Eiusdem de contractuum, & ultimarum uoluntatum compositione ad sensum Sapientis liber unus.

Index capitum omnium librorum.
Index rerum memorabilium.





L A T

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, M. D. LX.

DE CONSILIO SAPIENTIS, IN FORENSIBVS CAVSIS ADHIBENDO, LIBER PRIMVS,

A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTVS,

AD BARTHOLOMAEVM VITELLIVM.



CVM de Consilio Sapientis, quod in foro, iudiciisq. assidue uersatur, aliquid scribere instituissem, id mihi primum proposui, ut colligerem hoc de genere toto, quæ a multis sparsim tradita sunt; deinde, ut eo digererem ordine, quem ipsius doctrinæ ratio postulat; tertio loco, ut, quantum quidem in me esset, obscuris lucem adderem breui satis explanatione; postremo, ut afferrem ipse de meo, quæ, nisi fallor, ad ostendendam subiectæ rei scientiam non mediocriter pertinent. Res est non exiguæ doctrinæ, experientiæ uero industriæq. maximæ: quæ mihi sentio non adesse. ueruntamen præstantibus in rebus aliquid audere, etiam si optatum exitum non assequamur, laudabile uidetur. quanquam id me aliqua ex parte quasi recreat, quod euenisse multis animaduerti, ut interdum, quò doctrina, & ingenio satis non liceret, studio, & diligentia peruenirent. quo quidem in numero, non desperaui futurum, ut ego quoque locum aliquem habere possem. nec

enim me deterret, quòd hanc doctrinam, quam his
in libris complectemur, illuſtrare, atque exornare
uerborum elegantia mihi non liceat. nam tum ipſa
re contentus ſum: tũ forenſis exercitatio auertit me
ab eo latinæ orationis cultu, in quo & ueteres no-
ſtros Iuriſconſultos, & ex recentioribus etiam æta-
te noſtra non paucos excelluiſſe uideo: quorum imi
tor uoluntatem; cum ab eorum tamen laude, uel oc
cupationibus impeditus, uel fortaſſe etiam ingenii
tenuitate retardatus, longè abſim. Quod tamen po-
ſitum in me fuit, ut lectori utilitatem ſine moleſtia,
tædioq. afferrem, in eo diligenter elaboraui: aſſe-
cutus, nec ne, ſim, aliis iudicandum relinquo. Id
autem tribus modis fieri ſolet, ut nihil prætermitta
tur, ut dilucide narretur, ut, quoad eius fieri poſſit,
paucis uerbis multa comprehendantur, neglecto
inanium uerborum apparatu, prorſus omiſſa illa cu
ra, cui ſtudere multos non ignoro, locis quibusli-
bet etiam inanibus appellandis, eo ſcilicet conſilio,
ut doctrinæ laudem aucupentur: cum eueniat ſæpe
contra quàm ipſi ſperant, ut longi operis labor le-
ctorem deterreat. Nos breuitatem in primis ſecuti,
quæ in hac doctrina præcipue ſunt illuſtria, quæq.
maxime neceſſaria, collegimus; eaq. planiſſime ut
exponeremus, operam dedimus. Cupio autem cum
aliis probari noſtram induſtriam, tum uero tibi, no
biliſſime Bartholomæe Vitelli, cuius non modo in-
genium, & propenſam ad optima ſtudia uolunta-
tem diligo, uerum etiam iudicium, & doctrinam
magnifacio. ut morum ſuauitatem ſilentio præter-
mittam, quæ tibi in hoc uniuerſo gymnaſio, atque
adeo tota in urbe noſtra bonorum omnium, & eru-

ditorum

ditorum beneuolentiam peperit. itaque, quòd amicitiam mihi tecũ iungere licuerit, equidem hoc in magna felicitatis meæ parte soleo collocare. Cumq́. alia meæ in te singularis obseruantiæ argumenta aliquanto maiora, atque illustriora cuperem ostendere; nec satis, qua ratione huic meæ cupiditati obsequerer, hoc tempore succurreret; usus sum occasione, quæ in manibus erat; & hoc, quidquid studii contuleram in hos libros, putaui ad te esse mittendum, eoq́. libentius, quòd hoc studiorum genere maxime delectaris, & hoc nomine Patauium te contulisti, primum tua sponte, deinde exemplo præstantissimi Ioannis Vitellii, qui tuam familiam & suis uirtutibus, & Cardinalis dignitate decorauit. Nec uero me latet, multo & plura, & meliora haurire te posse ex ueterum Iurisconsultorum fontibus: sed nosti Plinianum illud, nullum librum esse tam ineptum, ex quo non aliqua percipiatur utilitas. quod si omnium, qui libros legerent, commune esse Plinius uoluit: certe præcipuum tuum uidetur esse, qui æqualibus tuis, quos quidem ego cognouerim, tantum acumine ingenii, iudicii præstantia, assiduitate, ac studio, quantum probitate, ac moribus antecellis. itaque speraui te ex nostro libro, tanquam ex agro infœcundo, fructum tamen aliquem, ut optimum agricolam, posse percipere. quod si ita erit; laudem non nullam assequetur nostra sterilitas ex diligentia tua. ita fiet, ut, cum tibi aliis de causis obstrictus amore sim, hoc etiam nomine plurimum debeam. Ordinis autem hæc erit ratio. Primum, ad perfectam Consilii scientiam, & Sapientis persona quidquid spectare uidebitur, accurate expo-

nam

nam. Deinde omnes caussas, omnia tempora, quibus consilium hoc adhibetur, & commemorabo, & studiose perpendam. Huc accedet ordo in primis necessarius, quo caussæ committuntur, & ex Consilio pronuntiatur. Postremo, quæ post latam sententiam præter opinionem emergunt, de quibus interdum acerrime litigatur, ea quoque ita tractabimus, ut uel nihil, uel certe non admodum multa desiderentur.

Diuisio, & descriptio Consilii Sapientis. Cap. I.

ATQVE illud in primis admonendum uidetur, Consilium Sapientis duobus modis accipi posse, uno modo in genere, cum de Sapientia intelligitur, quæ non unius artis duntaxat rationem reddere potest, sed omnium artiũ, & doctrinarum causam inquirit: ut si in iuris peritia a Marco Mantua, uel Tiberio Deciano, celeberrimis uiris, cõsilium requiratur; uel si ab eo consilium petatur, qui multarum rerum usum habet. Sapiens enim, ut inquit Cicero de amicitia, L. Acilius appellatus est, quia prudens esse in iure ciuili putabatur, & M. Cato, quia multarum rerum usum habebat, multaq. eius & in senatu, & in foro, uel prouisa prudenter, uel acta constanter, uel responsa acute ferebantur. Pleraque etiam alia exempla tradi possent: quandoquidem & Lælius minor, qui, patrocinio Liciniæ legis abiecto, ciuili concordiæ consuluit, Sapientis nomen consecutus est. et Plato de scientia, sapientem agricolam, & Aristoteles VI. Ethicorum Phidiam sapientem marmorarium, & Polycletum sapientem statuarium appellarunt. Sed hæc, ut fere extranea, mitto. Altero modo in specie, Consilium Sapientis in foro accipimus, cum electus iurisperitus iudici consulit, ut iustam omnino ferat sententiam: de quo præcipue sermo nobis est futurus.

cõsiliũ sapientis

rus. Atque ita deſcribemus, ut Conſilium Sapientis, iudicialis reſponſi quædam ſit formula, a litigantibus, uel a iudice ipſo ſæpe requiſita, ut controuerſiæ & tutius, & minore cum impenſa terminentur. qua deſcriptione cõtenti, definitionem aliam non quæremus, ne imitemur eos, qui ad ambitionem potius, quàm ad ullam utilitatem, ſuperuacanea quædam aucupantur. Quia uero pro iudicibus inuentum eſt, ac in iudiciis eo frequentiſsime utimur, Sapientis Conſilium iudiciale nuncupabimus.

Conſilium Sapientis iudiciale unde originem duxerit. Cap. II.

SED quoniam a noſtris iuris interpretibus locus de huius Conſilii origine prætermiſſus eſt, neceſſarium nobis uidetur, in primis ipſius Conſilii originem demonſtrare. Illud igitur cenſeo, a ciuili Romanorum iure initium habuiſſe ex l. ii. prope fi. de orig. iur. ubi ita Pomponius ad uerbum inquit. Ante Auguſti tempora publice reſpondendi ius, non a principibus dabatur, ſed, qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neque reſponſa utique ſignata dabant, ſed plerunque iudicibus ipſis ſcribebant, aut teſtabantur qui illos conſulebant. Primus Diuus Auguſtus, ut maior iuris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate eius reſponderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficiis cœpit. Hactenus ipſe. quæ profecto uerba uiuam fere huiuſce iudicialis Conſilii imaginem referunt. quandoquidem huiuſmodi conſilia iudicibus ſignata mittuntur ab iis iuris profeſſoribus, quorum pleriſque in locis talis eſt auctoritas, qualis eorum erat, quos memorat Pomponius in d. l. ii. & mittuntur ab iis, qui ex Principis auctoritate reſpondent, ut paulo inferius dicetur. Lata enim qualibet iuris parte, interpretatio prudentum neceſſaria eſſet cœpit, unde prodiit Reſponſum prudentum; quod qui profitebantur, iuriſconſulti appellati ſunt. §. reſponſa, inſt. de iur. natu. gent. & ciu. & c. reſponſa, diſtinct.

distinct. ii. Et sane ex omnibus, qui scientiam hanc professi sunt, neminem ante Ti. Coruncanium publice professum, legitur. ceteri autem adhuc uel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, solumq. consultoribus uacare potius, quàm discere uolentibus, se præstabant. §. iuris ciuilis; cuius Tiberii (ut ait Pompo.) complura, & memorabilia responsa fuerunt. Acilius autem primus a populo Sapiens appellatus est. fuit etiam Symphronius, quem populus R. Sophon appellauit. nec enim ius ciuile Romanorum ita constare potuisset, nisi ab iis iuris sapientibus quotidie in melius productum fuisset. §. post ori ginem. Extat etiam exemplum decem sapientum, quibus summum ius, summaq. potestas data fuerat & leges a Græcis acceptas corrigendi, & interpretandi: ex quibus fuit Appius Claudius, cuius cõsilium in XII. tabulis maximum nuncupatum est. et C. Scipio Nasica uir optimus a senatu est appellatus, cui publice domus in Sacra uia data erat, ut facilius consuli posset. d. §. iuris ciuilis. Præterea non ne ius ipsum ciuile a prudentum Romanorum auctoritate uenit? l. ius autem ciuile, de legib. Non ne lex est commune præceptum uirorum consulto, & ius non scriptum, in sola prudentum interpretatione consistit? l. i. de legib. & §. eodem tempore, de orig. iur. Adeo quidem sapientissimi illi Romani ualere iudicarunt consulendi usum, ut testatum reliquerit Cicero lib. III. de oratore, Aelium, & Manilium adiri solitos fuisse, responsuros non solum de iure ciuili, uerum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, deq. omni negotio, & officio. unde eodem libro Cicero, de P. Crasso, Ti. Coruncanio, & Scipione meminit, dicens: Hæc fuit P. Crassi illius ueteris, hæc Ti. Coruncanii, hæc Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, ut ad eos de omnibus diuinis atq. humanis rebus referretur: iidemq. & ad senatum, & ad populum, & in caussa amicorum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq. præstabant. A d rem etiam pertinet quod inquit Vlpianus de Præsidibus, qui iudicibus de iure dubitantibus respondebant in

l. eum,

l. eum, quem temere, de iudic. ad quorum exemplum hoc tam utile Sapientum genus, & Consilium inuentum est, uniuerso postea omnium consensu receptum, atque explicatum. nam tantum abest, ut antehac prudentes ciues Sapientis Consilium neglexerint, ut id fere sibi ius peculiare, quo uterentur, asciuerint: sicuti ea, quæ inferius tractanda sunt, & præsertim sequenti libro, demonstrabunt. At nunc satis erit, his paucis consilii nostri originem indicasse.

Consilium Sapientis iudiciale, quare Sapientis appelletur; & cur potius Sapientis, quàm prudentis. Cap. III.

HIC etiam inuestigari potest, quare Consilium hoc Sapientis appelletur: cum existimandum sit, maiores nostros non ab re Sapientis Consilium ita denominasse. Etenim non temere, uidetur, huiusmodi factam esse denominationem, si inspexerimus personæ qualitatem, ad quam Consilium dirigitur: cum ad eum dirigatur, qui iurisdictioni præest, & qui iustitiæ minister est. c. decretis, xxi. distinct. In iustitia autem (ut inquit Cicero lib. I. offic.) uirtutis est splendor maximus, ex qua uiri boni nominantur. quinimmo est omnium uirtutum domina, & regina, ut idem ait lib. III. Adde quòd & idem Iudex uir bonus dicitur, atque iurisdicendi, æquitatisq́. statuendæ peritus est. l. continuus, §. cum ita, de uerb. oblig. quem iccirco Principem ciuitatis appellauit Modestinus in l. spadonem, §. si ciuitatis, de excusat. tutor. & habere potestatis imperium dixit Paullus in l. potestatis, de uerb. signif. & publicam personam nuncuparunt Cæsares in l. tutores, ubi glo. C. de administr. tutor. Sed eam rationem non ita simpliciter probo. nam ex ea tacite infertur, sapientem inuentum esse, ut Sapienti consuleret; quod dictu absonum arbitror. quinimmo cum sæpe imperiti iudices statuantur, l. certi, ibiq́. gloss. C. de iudic. Felin. in c. sciscitatus, in uer. illiteratus, de rescript. Pute. de syn

quesit differentia inter sapientem et prudentem.

dic. cap. incip. dicitur, alia insurgit ratio, ut cum docti, ac periti quidam inuenti fuerint, qui pro insipientibus supplerent, eorum consilium, Sapientis Consilium appellatum sit. quod sane Consilium e sacrarum legum sapientia emanat, quæ humanarum ac diuinarum rerum notitia est. Et hoc Sapientum nomine Decem illi, quos paulo ante memorauimus, a populo Romano electi, ut leges a Græcis acceptas corrigerent, & interpretarentur, decorati sunt. Solon præterea sapientissimus ab antiquis appellatus est; & nouissime etiam Iulianus Iurisconsultus, in auct. quib. mod. natu. effic. sui, in princ. Consilium ex iusti, atque iniusti scientia fit, ex iustitia construitur, quæ, ut inquit Plato, ipsa sapientia est. ideo a sapiente, & sacerdote quidem, necessario prouenit. l. i. de iust. & iur. Etenim apud antiquos, eorum sacerdotes singulis Diis consecrati erant, qui de futuris responsa cõsulentibus dabant. sic optimi illi Iurisconsulti unicuique ciui consulendos se antiquo instituto præbebant. Bude. in d. l. i. quorum imaginem si recte animaduertimus, sapiens noster refert; qui sanctissimam rem tractat, præpotentem, & gloriosam philosophiam a Cicerone appellatam, in lib. 1. de orat. unde & sacerdos, & si summe excellit Antistes, boni & æqui responsor nuncupatur. Quid igitur mirum, si eius Consilium, qui lepram a lepra, falsa a ueris potest distinguere, eius ue quem tot, tantæq́. uirtutes comitantur, Sapientis etiam nomine honestetur? Probabilius autem dubitabitur, cur potius Consilium Sapientis, quàm prudentis dictum sit. siquidem iuris scientia, iuris prudentia nuncupatur, l. iustitia, §. iuris prudentia, de iust. & iur. nunquam uero, uel raro iuris sapientia. sed dubium summouetur, si consideremus prudentem aliquem esse posse etiam iuris ignarum. c. nemo peritorum, aut prudentum, xi. q. iii. Archid. in c. & commissi, col. i. uers. peritos, de hæretic. lib. vi. prudentia enim omnibus artibus communis est, atque multa prudentiæ iudicis relinquuntur, non sapientiæ. c. iudicantem, xxx. q. v. l. iudices, C. de iudic. l. iii. uers. tu magis,

gis, de testib. unde commissio quòd iudex iudicet secundum prudentiam suam, laxiorem iudicandi facultatem iudici tribuit, iuxta notata in c. ne innitaris, de constitut. & nota. in l. si sic, de legat. i. Iudici sane conuenit prudentia, Iurisconsulto uero sapientia, l. ii. §. deinde sextus, de orig. iur. Quid est autem (inquit Cicero lib. i. de legib.) non dicam in homine, sed in omni cælo, atque terra ratione diuinius? quæ cum adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. perfecta uero ratio censetur, quando lege præscribitur. quia lex est commune præceptum uirorum consulto, l. i. de legib. Ac ex his satis constare uidetur, cur Consilium Sapientis, & cur potius Sapientis, quàm prudentis appelletur.

iudici prudentia iurisconsulto sapientia

Qua ratione Consilium Sapientis iudiciale introductum sit. Cap. IIII.

ETSI ratio, qua hoc Sapientis Consilium introductũ est, ex prædictis percipi potest, eam tamen apertam magis, ac illustrem reddere non erit inutile, maxime quòd in decidendis ambiguitatibus, rationem ueluti scopum intueri solemus. l. milites agrum, de re milita. Archid. in c. ubi periculum, de electio. lib. VI. Rationem igitur huius habendi consilii, eam potissimã esse censuerim, ut iustiorem nobis, ac tutiorem paremus sententiam. quandoquidem (ut late præcipit Aristot. lib. I. procem. cap. IIII. Rhetoric.) facilius errare potest iudex, cuius arbitrio commissa est causa, quàm qui secundum leges iudicaturus est. Cumq. uiderint homines, iudicis officium latissimum esse, l. i. de iurisd. omn. iud. & sæpe imperitos iudices statui, l. certi, C. de iudic. Butrig. in auct. causa quæ, C. de Episco. & cler. Panor. in c. i. uers. hoc dictum, de iudic. tutius esse putarunt, non omnia eius arbitrio relinquere, sed ad iuris regulas eius potestatem, maxime in diiudicandis causis, restringere; ut secundum leges iudicaretur. et ideo lex ob iudicum imperitiã assessores introduxit, ut notat Panor. in d. c. i. secundum au-

tem leges iudicari non dubitamus, cum ex Sapientis Consilio pronuntiatur. Bald. in auct. habita, uers. quarto nota, C. ne fil. pro patr. quod plerunque secus fieret si sine Sapiētis Consilio pronūtiaretur: Felin. in c. uenerabilis, col. xiiii. de except. Huius enim nostri sapiētis munus esse non ignoramus, præcepta exequi huius iuris prudētiæ præcipue. iccirco negabit nemo, ex illius consilio iuste iudicari, qui in iuris prudentia excellit; prout & in aliis facultatibus fit. c. porro, lxxxiiii. distinct. l. i. de uentr. inspicien. Spec. de teste, §. vii. uers. hoc quoque. Præterea si origo eius, ut supra cap. ii. dicebatur, ad antiquos illos Iurisconsultos refertur, ea ratione inuentum esse dicemus, ut id ius omnino sequamur, quod quammaxime ipsi profitebantur. Est plane id ius (ut inquit Vlpian.) ars boni, & æqui a iustitia appellatum. Verum, qua fuerint auctoritate eorum Ureconsultorum responsa, scribit Pomponius in l. ii. de orig. iur. &, quanti nunc sint ponderis, testantur eorum præclara monumenta, quæ quotidie in manibus habemus. Quare nō debuisset dubitare Romanus in cons. ccxxviii. an ualeat consuetudo, quòd pro causis piis imperiti consilium sufficiat: quia, si naturæ consilii, & ipsius rationi, re, & nomine aduersatur, uitiosa, inutilisq. erit consuetudo, & alio potius nomine nuncupabitur. c. ad nostram, & c. ult. de consuetu. quid enim est homine imperito iniustius? quid sapientia, et ratione melius? Cuius autē legis (inquit Paulus Manutius in lib. de legib.) uitiosa, ac turpis origo sit, ea lex nominanda non est. nam legis causa iustitia, & lex ipsa iusta ac sancta debet esse. Ceterū quibusdam in locis alia etiā ratione, et grauissima quidem, huiusmodi consilium petitur, ut scilicet intra domesticos parietes lis finem accipiat: quo iure nos utimur ex Veneti Senatus decreto, quo, Francisco Foscaro Principe, sancitum est, non amplius ad Veneta tribunalia, sed ad Prætorem tantum ciuitatis, eiusq. assessores prouocandum esse. Et ut etiam minus fatigentur ciues, alio eiusdem Senatus decreto cautum est, a duabus sententiis latis de Consilio Sapientis

appel-

appellari nõ posse. quod & ualde utile est, et iuris æquitati consentaneum. l. si quis ex signatoribus, quemad. testa. aperiant. l. properandum, C. de iudic. & l. i. C. ne lice. tert. prou. Vnde cõsequitur, ut beatas illas ciuitates appellare posſimus, apud quas huius diuini Consilii ratio in usu est.

An quilibet iurisperitus consulat, uel is tantum, qui publice in aliquo collegio sit constitutus. Cap. v.

COMMVNI iure, quemlibet, modo approbatum, iurisperitum iudici consulere posse, dubium non est, cum in habendis cõsiliis eximia solum approbata excellentia, ac iuris præstantia spectari soleat. l. i. C. de profess. qui in urb. lib. xii. l. si auiam, C. de ingenu. manu. Matthes. in fi. tract. uer. opinion. quemadmodum in his etiam accidit, quæ in iure non consistunt, ut duntaxat uiri iudicium, siue peritia inspiciatur. Ioann. And. add. Spec. de homicid. in uer. noscunt. Butr. in c. proposuisti, de probat. Dixi, approbatum iurisperitum, quia Diuus Augustus primus constituit, ut auctoritate eius respõderetur. ideo Sabino a Tiberio Cæsare cõcessum est, ut populo respõderet. l. ii. de orig. iur. in fi. quo factum est, ut postea inductum esse uideamus, non censeri aliquem iurisperitum, nisi fuerit a Principe insignitus, uel a Comite, uel ab iis approbatus, quibus Princeps suam impertiuerit auctoritatem; & doctoris nomine nuncupatur: ut recentiores obseruant in l. ii. prope finem de orig. iur. Vniuersalis autem consuetudo doctoratus insignibus non contenta, pro hoc nostro Consilio cautius introduxit, ut tunc Sapiens intelligatur, cum de iis conscriptis iurisperitis fuerit, qui collegii uocabulo appellantur. quod interdum, ut apud nos, pro iudicibus, pro sapientibus, et pro aduocatis ciuitatis factum est: & summa nempe ratione. multis enim prouidet difficultatibus, quæ inter doctos, & indoctos facile orirentur: cum plerunque indoctiores in omni arte (ut inquit Plato de iusto) plus sibi arrogent, quàm docti. Et

ideo est huiusmodi consuetudo summopere probanda. Innoc. in ar. in. c. i. col.i.uers. item quòd, de fid. instrum. l. ii. ibiq. not. C. de constitu. pecun. maxime quòd nihil est illi Principi Deo, qui omnem mundum regit, (ut inquit Cicero) quod quidem in terris fiat acceptius, quàm consilia cœtusq. hominũ iure sociati. Quibus cõsequens est, ut ciuitatis doctiores, & sapientiores ad talem numerum aggregari debeant: cum nemo (ut idem ait lib. II. de orat.) sapientiæ laudem sine studio & labore consequi possit: & respondendi beneficium non peti, sed præstari soleat, ut uiris Prætoriis Adrianus rescripsit d.l.ii.in fi.de orig.iur. Et licet non nulli in iurisperitis in collegium cooptandis generis nobilitatem, non uiri doctrinam, seu sapientiam spectent, & interdum quosdam recipiant, quibus ipsis consilio potius opus est, quàm ut aliis consilium dare possint: eam tamen sibi adscriptã prærogatiuã, quæ corruptelæ nomen assumit, nostræ non aduersatur ueridicæ conclusioni: quoniam deprauati usus rationem, aut legem uincere nequeunt, ac omni iuris sanctione improbantur. l.ii. C. quæ sit long. cons. c.ult. de consuetud. cum si. Et his quoque consequitur, ut cum trifariam officium a Bar. consideretur in l. i. §. si plures, de exercit. addita Panor. & aliorum declaratione in c. prudentiam, de offic. delegat. nostri Sapientis officium, quod & auctoritate publica, & ad utilitatem publicam inuentum est, utroque iure publicum, auctoritate sciilcet, & utilitate, esse dicatur.

Quæ maxime nobilitas in eo requiratur, qui Sapientis nomine honestari, & in collegium recipi cupiat. Cap. VI.

LICET quilibet approbatus iurisperitus iudici consulere possit, nisi præcipuo ciuitatis iure circa Sapientis qualitatem prouisum sit, operæpretium tamen esse existimaui, qua nobilitate præditum esse oporteat eũ, qui sibi locũ in collegio dari uelit, exponere: non quòd de nobili

tate

tate hic agere ſtatuerim, de qua copioſe philoſophi, poe tæ, iuriſconſulti, & nouiſsime Tiraquellus, ac alii diſputarunt; ſed ne forte arbitrentur ii, qui Sapientum no mine appellari uelint, eam in Sapiente nobilitatem expeti, quæ ex progenitorum meritis proueniat, de qua Bald. in l.iii. C. de cōmerc. & mercatore. cum hæc non ſit propria, ſed aliena gloria, quam malis moribus, & imperitia complures fœdarunt: ut tradit Valer. Max. de his qui degenerauerunt a parentibus ſuis. Bart. late in l.i. C. de di gnit. lib. XII. Vnde notat Cynus, eum, qui ſua uirtute no bilitatem meruit, magis dici nobilem, quàm eum, qui deſcendit nobili ex genere, qui non niſi præſumptiue nobilis exiſtimatur, in l. quod ſi nolit, §. qui mancipia, de ædil. edict. ſiquidem ex natalibus, quo ad ea, quæ ad uirtu tem ſpectant, neminem nobiliorem, uel ignobiliorem eſſe liquido conſtat. c. nunquam, lvi. diſtinct. glo. in c. quo niam uetus, xxiiii. q. i. Et ne forte in Sapiente diuitias inſpiciamus: quæ cum ex ſe uiliſsimæ ſint, nunquam prudentibus uiris probari poterit, ut hominem nobilem red dere poſsint. Bar. in d. l.i. Ang. in l. ſi quis uxori, §. cum Titio, de furt. Pute. de re milita. lib. VII. cap. I. Sabinus enim, cui a Tiberio Cæſare conceſſum fuerat, ut populo reſponderet, in equeſtrem ordinem iam grandis natu, & fere annorum quinquaginta, receptus erat, & ob tenues eius facultates (inquit Pomponius) plurimum a ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt. l. ii. in fin. de orig. iur. ſed ut om nes ſciant, eam nobilitatem in ſapiente requiri, quæ non aliunde pendet, nihil extrinſecus aſſumit, ſed ſuis pollet opibus, ſuis nititur uiribus; quam ſapientes ſic definiūt: Nobilitas eſt excellentia quædam animi, qua digniores fiunt homines, & indignioribus præſtant. cuius ſententiæ fuere plures præſtantiſsimi uiri, referente Bart. in d. l. i. probantq́. hoc optimarum artium profeſſores. Audi Apu leium in libro de Deo Socratis ita ad uerbum dicentem. Si laudas aliquem, quia generoſus eſt, parentes eius laudas: ſi uero quia diues, fortunæ hoc debetur. et quæ ſequuntur. poſtea paulo inferius: Sed ſi eum laudas, quia bonis

bonis moribus, & artibus doctus est, & ualde eruditus, quantum homini licet; tunc ipsum uirum laudas, quia nec a patre hereditarium, nec ætate mutabile, nec a corpore caducum. Hactenus ille. Præterea non ne Socrates, & Demosthenes nobilissimi fuerunt? ille tamen parentibus ignobilissimis, hic prorsus ignotis natus est. Diuiditur enim, quemadmodum apud Diogenem Laertium scriptum est, nobilitas in quattuor genera, unum, quando maiores fuerunt boni, honesti, & iusti: alterum, quando maiores opibus ualuerunt, & urbibus, aut nationibus imperarunt: tertium, quando celebres maiores fuere, ut a militia, uel a certaminibus Olympicis. postremum genus est, quando aliquis præstantem animum, ac uere nobilem habet: quæ (ut ipse concludit) optima nobilitas est. Et, ut perstringam paucis, cum nobilitatis nomen late pateat, ego quoque unam illam præcipue nobilitatem in Sapiente probauerim, quam sibi ipse sua tum doctrina, tum etiam integritate peperit. nam cum bonorum duo sint genera, tum laudabilia, tum optabilia; laudabilia, ut scientiæ omnes, & artes libero dignæ, mores, & uirtutes, quæ non a fortuna, non a natura tribuuntur, sed nostro studio, nostra comparantur industria; optabilia, ut diuitiæ, honores, familiæ splendor, ualetudo; quæ improbis etiã hominibus sæpe contingũt: quis unquam sapiens optabilia laudabilibus anteposuit? Bona uocentur. concedo: sed bona tamen media, quæ possint etiam instrumenta prauitatis esse: adeo ut, quæ hoc tantum nomine censentur, nisi cum optima mente coniungantur, indigna prorsus homine uideantur esse. Quæ cum ita sint, nimirum, cum sapientis proprium sit consulere, ille Sapiens proprie nobilis intelligetur, qui præ ceteris consilio ipso ualet. ex d.l. prouidendum, & nota. a Bart. in d. l. i. Quid, quæso, proderit, consulentis parentes, aut maiores maximos fuisse, ipsum autem consilio nihil ualere? quid commune habebit consilium cum diuitiarum copia? collegium enim uirorum sapientum est, non generosorum, uel diuitum. alioqui parum proprie

Sapientum

Sapientum uocabulo appellaretur: & indecorum esset, ac litigantibus ualde periculosum, si doctorellus, ut Baldi uerbũ usurpemus in proœ. digest. expersq́., & imperitus rerum ordinario iudici consuleret. Quapropter illi tantum iurisperiti essent (ut opinor) huic Sapientũ numero adscribendi, qui ex aliquo temporis cursu, experientia, prudentia, & ratione hanc ueram nobilitatem fuerint adepti. l. i. in fin. c. de condit. in public. horr. lib. x. l. i. c. de profess. notatur a transalpinis in l. ii. uers. eloquentior, de reg. iur. Cuperem nihilominus, licet necesse non sit, Sapientem nostrum & diuitiis abundare; quibus sæpe homines utuntur, ut animi sui nobilitatem declarent; & genere nobilem esse, qui re uera (ut inquit Cynus in d. l. prouidendum) magis ad ueram nobilitatem ducitur.

Si lex nobiles genere uocet, an qui rem rusticam in suo prædio exercet, admittatur. Cap. VII.

PLERISQVE in locis statutum est, ne in collegium recipiantur, nisi qui genere nobiles sunt. a qua tamen nobilitate non abest is, qui rem rusticam in suo prædio exercet, si ad ea respiciamus, quæ agriculturæ laudibus passim tradita sunt. Commemorat M. Cato in proœmio de re rustica, ueteres, cum uirum bonum laudarent, ita laudare solitos, bonum agricolam, bonumq́. colonum. Et censoria nota affectos illos fuisse constat, qui agrum male colerent, aut contemnerent. Et ideo petitæ ædilitatis repulsam passus fertur Scipio Nasica, quòd adolescentulum competitorem, cui erant rustico opere duratæ manus, quasi illudens interrogasset, nunquid manibus incederet. Et his subiungi potest, quod de Attilio Calatino scribit Valerius Max lib. IIII. cap. de pauper. his uerbis. Illæ rustico operæ attritæ manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt; quæq́. modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. Extat etiam memorabile illud

exemplum L. Quinctii Cincinnati, quem ab aratro ad dictaturam uocatum ferunt. unde illud:

Pascebatq. suas ipse senator oues.

et Virg. lib. II. Georgic.

Hanc olim ueteres uitam coluere Sabini,
Hanc Remus, & frater. sic fortis Etruria creuit.

Apertius affirmat hoc Cicero lib. I. offic. inquiens: Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius. Quod enim ex his uerbis, Nil libero homine dignius, clarius exemplum inueniri potest? quo fit, ut clericus in agricultura occupatus, clericale beneficium non amittat. Spec. de cler. coniung. uers. Veruntamen non prohibeo. &, licet quis manibus propriis in suis laborauerit prædiis, non censeatur amittere nobilitatem. ac ideo iste, qui alioqui nobilis est, non cogitur contribuere in subsidiis dalphinalibus. Guid. Papæ in Decis. q.xli. Sed ego huiusmodi operas hisce maxime temporibus probauerim, nisi in iis occupati ita sordide, nullaq. dignitatis ratione habita se exerceant, ut in seruile officium incidere uideantur; iuxta sententiam Sallustii in procemio Coniur. Catil. atque ita abiecto animo rusticentur, ut ab urbanis negotiis, si quando eorum opera resp. egeret, non minus abhorreant, seq. e ciuium conspectu subtrahant, quàm a solari nitore talpæ, ac uespertiliones: quam ignauiam lex maxime accusat, l. quidam ignauiæ, C. de decurionib. lib. x. Non enim politico homini congruit, ita priuatis rebus operam nauare, ut publicarum obliuiscatur. ar. l. milites, C. de locat. si enim humanus animus, attestante Cicerone lib. v. Tuscul. decerptus est e mente diuina, & cum nullo alio, nisi cum ipso Deo, si fas est, comparari potest: quo modo ii, qui ita sordide rusticentur, in honestissimū Sapientum collegium recipi uolunt? Quare eum, qui nō abiecto animo in re rustica ita sese oblectat, ut & dignitatem non omittat, & operam suam a ciuibus suis minime desiderari patiatur, nunquam, mea quidem sententia, ab hoc iurisperitorum ordine reiiciendum esse arbitrabor.

Quid

Quid in filio mercatoris. Cap. VIII.

CONCESSA ciuitatis lege, ut tantum nobiles genere recipiantur, non uidetur filium mercatoris recipi posse, quoniam ignobilitatis speciem quandam præseferre illius industria uidetur; a qua sicut clericis congruit abstinere, ita & nobilibus. c. ult. & cle. i. de uit. & honest. cleric. l. nobiliores, C. de cōmerc. & mercat. quinimmo iste mercandi actus adeo censetur nobilitati aduersari, ut aliquis etiam genere nobilis, illi adhærens, renuntiare uideatur ei, in qua natus est, nobilitati, ut censuit Senatus Dalphin. q. cccxci. & Bartolam. Veron. de imper. milit. deligen. sub cap. nobilitatis, uers. xviii. licet pristina nobilitatis priuilegia iure quodam postliminii recuperet, quando ab illo actu destiterit. ar. d. c. ult. & eorum quæ notantur in d. q. cccxci. sed quæ aduersus mercaturæ conditionem uulgo induci solent, aliquam a prudentioribus recipiunt distinctionem. Nam aliqui sunt ex iis mechanici, artifices, mercenarii, aut tenuiorum mercium institores, quorum uel seruili opera, uel non satis probata merce utimur, & horum meminit Cicero lib. 1. off. & habetur in c. eiiciens, circa princip. lxxxviii. distinct. & in glo. in §. quod autem, in auct. de non alienan. aut permutan. qui cum proprie mercatores non dicantur, Ias. in l. cetera, §. sed & si quis, cum ibi additis, de leg. i. a municipum etiam dignitatibus repellūtur. l. ne quis ex ultimis, C. de dignit. lib. xii. Verum negotiatores illos, quos Plato, cum ciuitatem institueret, quemadmodum bene, ac beate uiuere illa posset, imprimis necessarios dixit, referente Iurecon sulto in l. ii. de nundin. quis nisi aut hebes rerum æstimator, aut turpis desidiæ potius, quàm probatæ negotiationis cultor non honestos appellauerit? si quidem præter innumerabilia, quæ in remp. conferunt, præcipue annonæ ciuitatum tam necessariæ subueniunt. propterea et lex eorum remuneranda pericula, & eosdem ad subeunda peri-

cula præmiis excitandos. l. semper, §. negotiatores, de iure immun. iuncta l. nauicularii, de mun. & honor. honestior autem mercatura ipsa erit, si quidem magna, & copiosa sit, multa undique apportans, multis sine uanitate impertiens, ut Cicero ostendit eodem lib. 1. offic. Nec mihi se quisquam efferat, aut insolenter iactet, quòd otiosam uitam negotiosæ præferendam putet. Nam quid priuatis hominibus, atque ipsi etiam reip. perniciosius otio esse potest? legimus Appium Claudium crebro commemorare solitum, negotium populo R. longe melius, quàm otium committi. Et illud Catonis notum est: præstat male agere, quàm nihil agere. Atque multos sapientissimos habitos mercaturam libere tractasse, ait Plutarchus in uita Solonis, de Thalete, Solone, Platone, & plerisque aliis: nec propterea ab ornatissimorum cœtu, uel collegiis exclusi sunt; immo, tanquam magis insignia capita, ceteris præstiterunt. Eadem ratione & ipsi clerici honestis dare operam negotiis non prohibentur. Panor. in c. nauiganti, de usur. maxime si eos urgent necessitas; c. i. in princ. ne cleric. uel monac. cuius etiam necessitatis ratio, uel loci natura laicos multo magis ad ipsum mercaturæ studium uocat, incolumi tamen eorum nobilitate, per ea quæ traduntur in c. quod non est licitum, extr. de reg. iur. & per Bar. in l. testes, C. de testib. Ad l. nobiliores. Responsio est, quòd loquitur de iis, qui non utilem, nec honestum quæstum faciunt. & l. ne quis ex ultimis, non honestos, sed ultimos, ac sordidos mercatores a dignitatibus excludit. Sapienter itaque faciunt, qui in distribuendis honoribus, non adeo se quorundam mercatorum filiis seueros præbebunt, ut apud eos plus mercaturæ nomen, quàm splēdor uirtutis ualuisse uideatur. quod uel maxime ab eorum collegiorum instituto abhorret, quæ uirtutis potius, quàm generis fama nobilitatem acceperunt.

Si lex generaliter iuriſperitos in collegium uocet, an infames qualibet infamia excludantur. Cap. IX.

INTER cetera impedimenta, quæ aliquem in collegium recipi non patiuntur, etiam ſi generalis uigeat lex de iuriſperitis in collegium recipiendis, eſt proculdubio infamia. quæ cum triplex ſit, iuris, facti, & canonica, ut habetur in c. teſtimoniũ, de teſtib. ſigillatim unamquanque conſiderabimus, ne ab æquiuoco decipiamur. Iuris infames, qui & ipſo iure, & ſententia notantur, l.i. de infamib. dubium non eſt, in ſupraſcriptum ordinem recipi non poſſe. quia iuris infamia, ſiue a ſententia hominis, ſiue a ſententia iuris proueniat, a qualibet dignitate, publicoq. officio infamem remouet. l. infamia, C. de decurion. cum ſi. Facti uero infames non uidentur repellendi, quoniam non prorſus turpes, ſed leui macula aſperſi uocantur, qui ita infames ſunt.l. ea quæ, C. ex quib. cauſ. in fam. irrog. l. fratres, C. de inoff. teſtam. & a iure publico non remouentur, ut notat Bald. in l. i. uerſ. Item ex formis, C. de heredib. inſtit. Contraria tamen (ut opinor) erit regula, ut infames infamia facti in collegium non recipiantur. quia regula eſt, eos ad dignitatem aſpirare non poſſe. l.ii. cum glo. & Bart. C. de dignit. lib. XII. l.ii. de off. aſſe. Nec infirmat regulam noſtram dictum Baldi de teſtibus, & tabellionibus, in quorum officiis dignitatis ratio non habetur. Bart. in l. ii. C. ſi ſeruu. aut lib. ad decurio. aſpir. lib. x. & in l. ult. C. de tabull. eod. lib. ideo conſequens erit, ut filius ſacerdotis, uel alio modo naturalis ad hanc dignitatem aſpirare non poſſit. Azo in ſumma C. ex quib. cauſ. infa. irrog. Iaſ. in d.l. fratres. propterea quòd talis non eſt proprie filius, & ſordes non merentur nominari inter præcipuos. l. filium, eum definimus, de his, qui ſunt ſu. uel al. Bald. in l. cum legitime, de ſta. hom. minuſq. genere nobilis eſt. Bar. in l. ſi ut proponis, C. de dignitat. lib. XII. nec ei quidquam prodeſt, ſi legiti-

legitimatus fuisset; si quidem nec in feudo licet legitimato succedere. §. naturales, si de feud. fuer. controuer. & ratio cur excludatur a feudo, est beneficium, & honor, quæ sunt in ipso non communicanda notis etiam legitimatis propter feudi dignitatem. Bald. in l. generaliter, C. de institu. & substitu. quæ sane ratio generalis est, & com modissime extenditur ad Sapiētem nostrum, cuius digni tas per ea, quæ superius tradita sunt, in solo beneficio, & honore consistit. Fateor equidem, si quis a testatore, uel a iudice increpatus, uel huiusmodi aliquid passus fuerit, ex quo aliquam facti infamiam subierit, eum repel li non posse. l. ob hæc, de infamib. d. l. ea quæ, l. uerbum, l. interlocutio, C. eod. Admitti autem non debebunt, qui ex peccato mortali canonice infames sunt. c. infames, vi. q. i. cum id genus hominum & ab accusatione, & a testimonio iure repellatur, ut notat Panor. in d. c. testimonium. non enim possunt ibi ueræ esse uirtutes, ubi non est uera religio, ut tradit D. August. in lib. xix. de ciuit. Dei, cap. xxv. Et ius sanctissima res est, quæ Domini timorem exigit, & improbam animam non ingreditur, & a sa cerdote ipso tractatur, ac diuinitatis potius, quàm humanitatis naturam redolet. sed quomodo hoc clarius pa tere potest, si consilium ipsum quiddam sacrum ex grauissimorum hominum sententia nuncupamus? hic etiam cō sequitur, ut iure recusari possint usurarii, excommunicati, & hæretici d. c. infames, l. improbum, ibiq. nota. C. quib. ex caus. infa. irrog. auct. credentes, C. de hæretic. cum si. Quod sane intelligitur, si, ut ab omnibus declaratur, tales homines in peccato perseuerauerint, & nisi palam non excommunicati, alio ue modo habiles communi errore existimarentur. l. Barbarius, de offi. præsid. gloss. in §. sed cum aliquis, Instit. de testam.

Quid in Iudæo ad religionem Christianam traducto. Cap. x.

Non dubium est, Iudæum in iurisperitorum ordinem recipi non posse: quoniam, si ei omnes dignitates, & admini-

ministrationes interdictæ sunt, nec patriæ honorem capere, nec ad doctoratus gradum promoueri, nec publico officio fungi potest. l. ult. C. de Iudæ. l. generaliter, §. ult. ibique gloss. de decurion. Roma. sing. dclxxii. c. cum sit, & c. pen. de Iudæ. At in Iudæo, dubium est, ad religionem Christianam traducto: qui cum ab ordinibus, beneficiisq. ecclesiasticis non repellatur, non uidetur pariter a sæcularibus remouendus. c. eam te, ibiq. glo. & Pano. de rescript. Tota autem pendet difficultas ex intelligentia textus in c. constituit, xvii. q. iiii. Iudæi, inquit ibi Sacrum Concilium, aut hi, qui ex his sunt, publica officia nullatenus appetant: quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt. Glossa intelligit, ut ea uerba, Qui ex his sunt, aptentur eis, qui in Iudæorum familia reperiuntur. quæ quidem interpretatio nimis repugnat uerborũ significationi, quæ spectanda imprimis est. l. non aliter, de leg. iii. cum si. Alio etiam modo exponit glossa, ut in illis uerbis textus intelligatur de Iudæis qui ad fidem Christianam accesserunt. quod Romanus in allegato loco, pro quodam singulari obseruat. sed hoc ita declarari posse uidetur, ut uerba, Ex his sunt, Iudæorum filios tantum comprehendant, qui tamen Christianam religionem susceperint ex c. Iudæorum, iuncta glo. xxviii. q. i. ubi iubet sanctio sancta, Iudæorum filios a parentibus separandos, & exponit glossa in filiis Christianis intelligendum: quoniam ueretur Sacrum Cõcilium ne Hebrei (ut ibi inquit textus) Christianis iniuriã faciant, d. c. constituit, c. nulla liiii. distinct. d. l. ult. d. c. cum sit; & c. pen. corrumpendo eos, qui ex his sunt. i. filios cum eandem imaginem, personã, & uocem patris, & filii iura fingant. l. ult. C. de impub. §. ei, instit. de inutilib. stipul. tãdem secũdum generalem glossæ expositionem meliorem arbitratus sum, ex generalibus uerbis, Ex his sunt, ex generali ratione, ne Hebrei Christianis iniuriam faciant, atque ex generali declaratione, quæ indifferenter omnes comprehendit, ut intelligatur de nuper ad Christianam religionem traductis. quæ declaratio colligitur ex uerbis ante-

antedictæ glossæ, Felini, & Ioannis ab Anania in c. cum sit, atque Archid. in c. constituit. quo tempore suspicionis ratio uiget. c. non potest, ii. q. vii. c. definimus, iiii. i. quandoquidem neophyti (sic enim eos Pontifex appellat) ad uitia adhuc, & deprauationem proni sunt. c. sæpe, xxxviii. q. i. & c. plerique, de consecratio. distinct. iiii. Si igitur lex necessario intelligitur de his, qui nuper se se ad Christianam pietatem contulerint, & cessat in inueteratis omnis suspicio, uana esset restrictio ad filios, qui sicut extranei respectiue possent, & non possent admitti. Confirmemus superius annotata, ex c. i. xlviii. distinct. & c. accusatores, iii. q. v. additis iis, qnæ idem Felinus scripsit in c. cum oportet, de accusat. Ac melius erit ut regula fiat, Iudæum Christiana iura consecutum in collegium admitti non posse, & ut ex iis, quæ iam diximus, regula ipsa declaretur.

Quid in eo, qui ætate minor sit. Cap. IX.

SCIMUS minoris iurisdictionem non improbari, & maiorem annis XVIII. iudicem esse posse. l. quidam, de re iudic. maiorem autem annis XX. arbitrum, l. cum lege, de arbitr. Panor. in c. cum uicesimum, de off. de leg. De Sapientis autem ætate quid erit dicendum? Si uidebimus cur lex in arbitro diuersum a iudice disponit, quæ etiam Sapienti ætas conueniat, facile dignoscetur. Duplicem reddit rationem glossa in eo c. cum uicesimũ. Primo quia iurisdictio a Principe, magistratibus ue tribuitur, a priuatis uero arbitria fiunt. Secundo, quia in iudiciis supplicatio, appellatio, & recusatio habentur, in arbitriis uero sola pœnæ solutio. quod probarunt Imola, & Alex. in d. l. quidam, de re iudic. Etenim propter ignorantiam arbitrorum, qui ideo non iurant, ut periurium euitent, partes manifestum adirent periculum. l. diem, §. stari, de arbitr. §. quia uero, ii. in auct. de iudic. ex quarum rationum ui, eadem sine dubio in Sapiente, quæ in iudice, ætas

requi-

requiretur: cum & consulendi auctoritas (ut paulo ante diximus) a Principe tribuatur, ac a peritissimis uiris consulatur. et quia etiam appellare licet, cui rei idoneus locus erit libro tertio. Veritas autem ex eo magis patet, quòd minor annis xx, licet imperitus, ad arbitrandum assumi potest, quando loco iudicis ordinarii secundum formam plebisciti municipalis eligitur. Felin. in c. ult. col. ult. de re iudic. Blanc. de compromiss. q. ii. num. xxii. ex quibus facile arguere possumus, ut nec maior Sapienti ætas, quàm iudici, sit necessaria, nec minor sufficiat, quam imbecillem, & infirmam esse testatur Cicero in Catone maiore, & probatur in c. quorundam, in principio xxxiiii. distinct. l. ult. §. filii autem, ibi, iuueniles calores, C. de bon. quæ liber. Excipiamus semper uel circa ætatem, uel circa Sapientes in collegium recipiendos particularem ciuium prouisionem. Verum dicet aliquis, si Sapientis ætatem iudicis ætate metimur, argumentūq. ualet a iudicandi munere ad consulendi officium, non ne furiosus habens dilucida interualla, qui iudicare potest, in collegium recipietur? l. cum prætor, §. ult. ibiq. glo. & l. cum furiosus, cum glo. de iudic. non recipietur quidem (ut opinor) quoniam non procedit argumentum, nisi eadem suadente ratione, a qua cum omnis ducatur dispositio, diuersimode hoc casu argumentabimur, de arbitro scilicet ad Sapientem, ut facit Bald. in cons. ccccl xxxi. lib. 1. & Socin. Iuni. cons. lxiii. lib. 1. habens enim dilucida interualla arbiter esse non potest, quæ est ratio? quia (ut inquit Accur.) arbiter partibus suis fungitur, non datis extrinsecus dilationibus propter suas necessitates, ut facit iudex, qui habet legalem dilationem. l. sed & si in seruum, §. i. de arbitr. iuncta glo. & Bart. in d. l. cum furiosus. qua ratione minus poterit Sapientis officio fungi; quia (ut paulo inferius dicetur) iurisdictionem non habet, ac simplici intra statutum tempus facultate potitur. posset plane accepto negotio tempore, quo urget cōsulendi necessitas, furore corripi, nec satis proprie Sapientis Consilium, & Sapientum collegium nuncuparetur. si-

cut enim nihil tam uoluntati, & consilio, quàm uis atque metus aduersatur: ita nihil tam recto cõsilio contrarium est, quàm furor. l. metum, §. sed quod Prætor, de eo quod met. cau. & l. nihil consensui, de reg. iur. stultitia enim soror est malitiæ, ac passim ex adagio improbatur, in manu furiosi gladium poni: uariæq. hac de re dispositiones leguntur. l. nec mandante, de tutor. & curator. l. qui testamento, §. nec furiosus, l. si quæramus, & ibi Bart. de testamen. Itaque, sicut minor annis xviii. ob ætatis imbecillitatem, ita & furiosus habens dilucida interualla, ob furoris periculum a Sapientis officio procul aberit.

Quid in muto, aut surdo, aut cæco. Cap. XII.

TAM ex lege, quàm ex communi omnium sententia clarum est, mutum a natura iudicandi munus habere non posse. l. cum Prætor, de iudic. Alex. in rub. de off. eiu. ad fin. ideo, si, ut superiori capite probauimus, de iudice ad Sapientem licet arguere, est etiam dicendum, ut Sapientis officio fungi non ualeat, maxime quòd nec arbitrari, nec perhibere testimonium ei permittitur. l. sed & si in seruum, de arbitr. §. testes, instit. de testam. quando uero ex superuenienti calamitate tali morbo laborat, ut percipere posit iura partium, partesq. ipsas ex scripto interrogare, ac scriptum ad iudicem consilium mittere; rationem non uideo, cur Sapiens esse non posit, etiam si surdus esset. nam huiusmodi mutus, & surdus testamentum facere, & testimonium dicere non prohibetur. l. discretis, C. qui testa. face. poss. Spec. de teste, §. nunc tractandum, uers. quid de muto. Non ne sæpe externus Sapiens, uisis tantum scripturis ex longinqua regione missis, nemine audito, nec cum quoquam sermone habito, obsignatum consilium petentibus transmittit? Non obiiciatur forte quòd coram tali Sapiente disputationes fieri non posint; cum tantum absit disputationes coram Sapiente necessarias esse, ut dixerit Spec. ad quæstum aduocatorum, & ad subleuandos imperitos iudices esse in-

inuentas, in uerſ. nec præmiſsi, de requiſ. conſil. ſed ratio quare, huiuſmodi infectus calamitate, nec iudex, nec arbiter eſſe poteſt, aperte conſtat: nã præter quàm quòd iudex pro tribunali ſedendo audire, reſpondere, ac iubere debet, Bart. in l. i. de iudic. in l. i. de iuriſd. omn. iudic. & in. l. i. §. dies, quand. appelland. ſit, & debet arbiter, inquantum poteſt, inſtar iudicis ſe gerere. l. i. de arbitr. cum ibi nota. certe utriſque legere, & ſententiam recitare neceſſe eſt. l. i. & ii. ibiq́. nota. C. de ſenten. ex pericu. recitand. quæ ratio ceſſat in Sapiente, qui & conſilium domi componit, & iudici ipſi legendum mittit. Sed in cæco, qui in iudicio poſtulare non poteſt, l. i. §. caſum, & §. quãuis, de poſtulan. quid erit dicendum? In eo diuerſum arbitror etiam ſi ex accidenti cæcus eſſet, quia non ſolum ſentio iure Sapientem debere conſilium ſcribere, ſicut & iudicem ipſius ſententiam l. cæcus, ibiq́. glo. de iudic. d. l. i. & ii. uerum etiam ſi res ita poſtulet, interdum oculorum acie quæſtiones dirimere l. ſi irruptione, in fin. finiu. regund. l. minor xxv. annis addito, & Bart. in l. de ætate, de minorib. Quid autem reſpondebimus ad id quòd cæcus & ſtipulari, & donare poteſt? Lancelo. Galiau. in l. i. de uerb. oblig. num. xliii. & Alex. conſ. xii. lib. 1. Facilis ſane reſponſio eſt, ſi dicamus ſtipulationem, ex qua & donationes, & reliqua omnia conficiuntur, uerbis fieri. l. i. de uerb. oblig. l. i. §. mutuum, & l. obligamur, §. uerbis, de action. & oblig. Et quod ſcribitur de Appio Claudio, qui conſiliis publicis interfuit, ac ſeuerißimam in ſenatu ſententiam dixit de captiuis non redimendis, nil obeſt: ea enim conſilia, in quibus potius perſuadetur, quàm conſulitur, a conſiliis noſtris multum differre conſtat. l. i. §. perſuadere, de ſeru. corrupt. l. ii. §. tua, manda. Ceterum ſi poſtquam Sapiens in collegium conſcriptus eſt, cæcus efficiatur, retinebit (ut opinor) conſulendi dignitatem, & adminiſtrationem non habebit, quam iudicem habere in iis tantum, quæ ſine ſcriptura iudicantur, cenſuit Accur. in d. l. cæcus. Accedit etiam, quòd Sapiens in prolatione ſententiæ, cum legitur conſilium, non ſem-

per adest, sicut iudex, qui lecta ex consuetudine per Tabellionem sententia, et eius audito tenore, dicere potest, Ita pronuntio. Casum autem exciperem, quando Sapiens iam in Sapientum numerum cooptatus, ante quàm cæcus esset, consilium scripsisset. ar. l. adigere, §. quamuis, de iure patron. §. item loco, instit. de curator. §. item Diuus, de excusat. tutor.

Quid in persona ecclesiastica. Cap. XIII.

RATIONE diuersæ professionis nullo pacto uidetur ecclesiasticam personam in collegium esse admittēdam, cum nullum ei liceat habere cum laicis commercium. glo. in l. pedius, de arbitr. Bald. in l. si quis ex consensu. C. de episco. audien. huiusmodi enim persona actis publicis se immiscere non potest. §. i. auct. de monac. l. placet, C. de Episco. & cleric. Sed ad eum pertinet diuina tractare, & temporalibus abstinere. l. non distinguemus. §. sacerdotio, de arbitr. Ego inter monachum, & clericum differentiam constituo. Reor quidem, monachum, similemq́. personam, quæ seruo æquiparatur, in collegium admitti non posse, ex notatis ab Aret. in §. pen. instit. de except. & Zabar. in clem. ii. q. xix. & xx. de rescript. Cum monachus, uel similis pro mortuo habeatur, atque iccirco illi forensium causarum susceptio prohibita est. c. qui uere, c. monachi, ii. & c. de præsentium, xvi. q. i. Simplicem uero clericum ab hoc collegio non puto repelli posse, quia & arbitri officio fungitur, & administrationem habet, ac iurisdictionem, si ex statuto facta est electio. d. §. sacerdotio. Spec. in §. ult. uers. sed quæro diligenter, de arbitr. glo. & Butr. in c. suspicionis, de offic. de leg. Quinimo ad hos magis pertinet concordiam, & pacem quærere, quam ex ipso consilio oriri omnes fatemur. l. inter claras, C. de summ. trin. iunctis iis quæ supra cap. iiii. tradidimus. nil enim (ait Cicero) in ciuitate tam diligenter, quàm ius ciuile retinendum. etenim, hoc sublato, nihil est,

est, quare exploratum cuiquam posſit eſſe, quid ſuum, qui alienum ſit, quod æquabile inter omnes, atque unum, aut omnibus eſſe poſſit. Et alibi, qui ius ciuile contemnendũ putat, is uincula reuellit non modo iudiciorum, ſed etiam utilitatis, uitæq. communis. Eodem pertinet, quod inquit Plato de ſapient. conſilium dici rem ſacram. & præſertim conſilium noſtrum erit huiuſmodi, quod de legibus fit, quæ ſacratisſimæ ſunt. auct. habita, ibiq. not. C. ne fil. pro patr. l. leges ſacratiſsimæ, C. de legib. Nil quidem aliud diuinius eſt, de quo quis conſulere queat, quàm de iure reſpondere; cum præter cetera, quæ circa id adduci poſſent, exempla id unum dici poſsit, iura diuinitus per ora Princip um eſſe promulgata. c. quo iure, viii. diſtinct. in auct. quomod. oport. Epiſcop. in princ. Et id etiam ea ratione probari poſſe uidetur, quia (ut ſæpe dixi) iuriſperitus ſacerdos appellatur, & ars conſulendi de iure diuinitatis potius quàm humanitatis, naturam refert. Cur igitur clericus, qui & uere ſacerdos eſt, & res diuinas tractat, a Sapiẽtis officio abſtinebit? id profecto uidetur, obiter conceſſum a Spec. de requiſ. conſ. uerſ. item fac. & Bar. de conſ. habe. uerſ. quarto. Præterea canonicæ ſæpe quæſtiones occurrunt, quæ a canonici iuris prudentibus tractari debent, in quo potius uerſari clericos præſumendum eſt. c. i. de conſanguin. c. i. in princ. de pænit. diſtinct. vi. cum ſi. Id uerum intelligetur, niſi clericus a præſtando conſilio contraria ciuium conſuetudine arceatur, quæ & contra ipſum clericum ſeruari debet. Guid. Papæ in Deciſ. q. xxxiiii. c. quàm graui, de crimi. falſ. Ac de perſonis quidem, quæ in iuriſperitorum collegium admitti poſſunt, hactenus a nobis dicta ſufficiant. Quæ omnia perpetua etiam hac regula confirmanda puto, diligenter imprimis perſonæ qualitates explorandas eſſe, antequàm in collegium admittatur. ubi uero quis ſemel acceptus eſt, de eo præſumptionem fieri quamoptimam oportere. ar. §. illud, quib. mod. natu. effician. legit. & eorum quæ notat Innoc. in c. illud, de præſumpt. & quæ Bal. in c. propoſuiſti, de probat.

An

An iurent sapientes, iuste se consulere. Cap. XIIII.

IVRANT hodie iudices antequã magistratum ineant, se omnem æquitatem seruaturos, ut eis iustum uisum fuerit. §. pen. auct. iusiur. quod præstat. ab his, ad quorum exemplum nostri etiam Sapientes debent legitimum iusiurandum accipere. Spec. de requis. cons. uers. item fac. Sapientia enim cum religione sic cohæret, (inquit Firmianus lib. IIII. diui. institut.) ut diuelli non possint. et in sapientia religio, & in religione sapientia est. licet in hoc aliquantulum hæsitauerit Bart. in tract. de cons. haben. uers. iiii. Tum quia nulla lege cauetur, tum quia in arbitro ius nouum statuit, nullum sic cogi posse arbitrum, ut cum iurisiurandi religione iudicet. §. quia uero, ii. auct. de iud. At utriusque collecta doctrina, eò res deducitur, ut distinguatur; si Sapiens clericus est, ei iusiurandum nõ deferri, ex Canone a Beatissimis Episcopis constituto. l. cum clericis, c. de Episco. & cler. clericis enim non ita facile iusiurandum defertur, ut pote quibus magis fides præstari solet, quàm aliis. c. i. & ii. Secunda, q. iiii. c. i. de iuram. calumn. Spec. de instrum. editio. §. compendiose, uers. item per ius. Si uero laicus est, & a principio iurauerit, uel alio munere publico cum iureiurando fungatur, amplius non iurabit, quia non præsumitur immemor salutis æternæ. l. ult. C. ad leg. Iul. repetun. l. ult. §. sed cum antiquas, C. de cura. furio. Vir enim multum iurans repletur iniquitate, nec recedit a domo eius plaga. c. & si Christus, de iureiur. Si autem esset priuatus, extraneus ue consultor, tunc si iudici uidebitur, inspecta negotii, ac Sapientis qualitate, iusiurandum requiret, ar. l. iii. §. i. de testib. Bald. in l. ii. q. xv. C. de seruitu. & aqu. reiecta illa de arbitro oppositione, quia non bene infertur de arbitro sæpe imperito, ad Sapientem peritum, ut ex ipsius nouellæ Constitutionis ratione cognoscitur. sed confusa est hæc distinctio, si eam recte perpendamus. Propterea ego in-

indistincte sentio, Sapientes iurare debere tempore, quo collegium ingrediuntur, se consulturos ut sibi iustius uidebitur, ex mente, ac uerbis prædictæ distinctionis ibi. Et a principio iurauerit, & aliis uerbis eiusdem Spec. ibi, Si uero laici, & sint officiati qui iurauerunt forte consulere Potestati uel Dominio; & quæ sequuntur. et maxime si (ut plerisque in locis habetur) debet ex municipii lege iudex sequi consilium, Calcan. cons. lxxxii. Ang. cons. clxxxvi. unde si fuerit commissa causa conscientiæ alicuius, non ualet sententia, nisi ille iurauerit. idq. aliis iuris in actis ex regula obseruatur. Ang. & Castrens. in l. de pupillo, §. qui opus, de oper. no. nunc. l. si uacantia, ibiq. nota. col. ii. C. de bon. uaca. lib. x. Quid est enim iusiurandum, nisi (ut inquit Cicero lib. III. offic.) affirmatio religiosa? & quæ est iurisiurandi utilitas? quod (idem inquit) affirmando quasi Deo teste promiseris seruandum est. Excipio semper locorum consuetudinem, ex qua leges interpretari iura docent. l. si de interpretatione, de legib. l. i. C. quæ sit long. consuet. quo casu posset tota distinctio locum habere, in iis scilicet, ubi ex more etiam ii, qui e collegio non sint assumerentur; uel quando collegium numero diminutum esset, iuxta distinctionem, quæ dabitur infra in ea quæstione, an is, qui e collegio non sit, consulat, si aliqua calamitate collegium ad paucos sit redactum.

Quis ordo præcedendi in collegio seruetur. Cap. XV.

IVRISPERITI, postquam Sapientum nomine digni iudicati sunt, ac ut sibi iustius uidebitur, iurarunt consulere, sedem ac locum suum in collegio habent. Quis autem sit uniuscuiusque locus, dubium uidetur. Nam quilibet diceret, ætate senioribus, & ualde peritis deferendũ esse, ne imperiti peritis, nouelli antiquis, rudesq. præferantur emeritis. c. statuimus, lxi. & c. porro, lxxxiiii. distinct. Bald. in c. cum olim, de consuetud. uel saltem eos

esse præferendos, qui utroque in iure approbati sunt, alia ue dignitate fulgent. Panor. in c. clerici, de iudic. quia digniores nobiliorem semper locum obtinent, ac in electione priorem uocem habent. nota. in .l. cum quid, si cert. petat. & in c. in canonicis, xix. distinct. ideo altiori loco sedent, ac ceteris anteponuntur .l. ob carmen, cũ gloss. de testib. c. in nostra, ibiq. nota. extr. eod. titu. tanta enim est uis auctoritatis, ut licet Anquiritana Synodus fuerit prior Nicena, propter tamen maiorem auctoritatem Nicena præponatur. glo. in c. placuit, xvi. distinct. tantaq. est uis dignitatis, ut ea quandoque maiorem numerum faciat, non personarum pluritas. Bart. in l. si uni, de re iudic. Attamen nec ætatem, nec gradum, nec auctoritatem attendimus, sed tempus duntaxat, quo Sapientes in collegium recipiuntur, ut primi recepti alios præcedant, sicq. ceteri ordine succesiuo; ut in consilio Neapolitano pro eo dubio, quis inciperet suffragium ferre, censuit Matth. afflict. Decis. i. ubi recitat id quod quidam Archiepiscopus obseruabat de Iacobo maiore, qui licet minor ætate esset, sic tamen denominatur, quia prior Apostolatum ingressus fuerat. atque in terminis collegii hoc expresse notat Gaspar Vallasc. in repetit. l. imperium, de iurisd. omn. iudic. Rationem esse arbitror, si animaduertemus, non præsumi quempiam Sapientem esse, licet alias iurisperitus sit, nisi cum primum ad publice respondendum habilis fuerit iudicatus, atque ex consuetudine supra cap. v. expressa in collegiũ fuerit cooptatus. Quod uero dicimus antiquiorem præcedere, in re nostra intelligitur creatione, nòn ætate, ut in l. i. de alb. scrib. l. i. C. de consulib. lib. xii. confirmaturq. ex iis, quæ de prælatione ratione antiquioris institutionis declarantur a glossa in c. quorundam, uers. prædicatores, de elect. lib. vi. & a Felin. in rub. de maior. & obed. sed quid egemus exemplis, si Episcopus sedet post canonicos prius receptos, quando ipse tanquam canonicus cum aliis congregatur? gloss. in c. collatione, de appell. lib. vi. quo argumento equestris, aut aliæ huiuscemodi dignitatis prærogatiuæ

locus

locus omnino tollitur. Plane antiquitas, quæ non ætate, ſed gradu, ac dignitate menſuratur, de qua in glo. in c. ult. de conſuetu. lib. vi. ita interpretanda eſt, ut ex ſumma doctrina, uel qualitate, excepta ſemper loci conſuetudine, nõ tollatur gradus, qui ex temporis prærogatiua prouenit. Innoc. in c. ſtatuimus, de maior. & obed. Deci. in conſ. clxi. lib. I. Sed præter loci conſuetudinem, ego caſum exciperem, quando duo iuriſperiti uno, eodemq́. tempore collegium ingrederentur. tunc enim ceſſante temporis prærogatiua, is, qui duplici dignitate fulget, unicum dignitatis gradum habentem præcederet. Bald. cum aliis in l. ſed & milites, in princ. de excuſat. tutor. Alex. in l. moribus, §. prius, de uulg. & pupill.

An Doctor Comes præcedat Doctorem Equitem, ſi ambo eodem tempore collegium ingrediantur. Cap. XVI.

VNIVERSALI expoſitioni circa Sapientum prælationem in collegio, particularem de Equite, & Comite, non incongruam ſubnectamus. Contingere quidem poteſt, ut uno, eodemq́. tempore duo iuriſperiti in collegium recipiantur, quorum unus Comes Palatinus, alter Eques fuerit: & cum ceſſet ratio temporis, quo collegiũ ingrediuntur, quæſtio oritur, uter eorum ſit præferendus. Pro Equite faciunt tot prærogatiuæ, ut conueniatur niſi inquantum facere poteſt, l. milites, de re iudic. ut ualeat teſtari ſolemnitate iuris omiſſa, l. i. de milit. teſtam. ut cum pupillo, minore, & muliere pari paſſu ambulet, l. cum de indebito, §. ſin autem, de probat. & ut tormentis, ac plebeiorum pœnis non ſubiiciatur. l. milites, C. de quæſt. cum ceteris prærogatiuis ab antedictis ſcriptoribus cumulatis, & nouiſsime a Marco Mantua de priuileg. militar. unde hæc uidetur uera dignitas, & non Comitis ſine comitatu, quæ abuſiua dicitur, Bald. in c. i. quis dicatur Dux, uel March. Mart. laude. de Princip. q. lxv. & adeo quidem abuſiua, ut Doctor ſine litteris comparetur

Comiti sine Comitatu, & uice uersa, sicut uere Doctor literis nititur, ita & uere comes comitatu, & iurisdictione. Martin. in d. tracta. q cxx. Alber. in l. ult. C. de iurisd. omn. iud. Pro Comite pariter non desunt argumenta. Quid maius quæso munus, quàm quod Doctori legẽti indulgetur, scilicet, ut post xx. annos Comes intelligatur? l. i. & ibi glo. C. de professſ. qui in urb. Bart. in l. i. C. de dignit. eod. lib. & quid honorificentius desiderari potest Comitis auctoritate? quæ homines natalibus restituit, tabelliones creat, & ad doctoratus dignitatem promouet? Castrens. in. i. Const. eod. Gemin. in c. grandi, paulo post princ. de supplen. negligen. prælat. lib. vi. Ioann. Grass. de substan. procurat. uers. publicus. Item Comes illustris est, & æquatur Asiæ proconsuli, qui uoluntariam iurisdictionem habet, l. i. C. de silentia. & Decur. lib. xii. Bal. in l. si consul, de adopt. & a cunctis muneribus immunis est. l. i. & glo. C. de priuileg. eor. qui in sacr. lib. xii. Nec lætentur militum priuilegiis huiusmodi Equites, qui solo nomine milites sunt. ar. c. multi, xl. distinct. longe quidem aberrantes a Socratico præcepto, Qualis uis uideri, talis esto. cui si quandoque parerent, minus odiosa forte redderetur eorum ambitio, qua primum sola, non aliquo merito, aut labore, ad ipsam equestrem dignitatem irrepserunt; contra l. contra, C. de re milit. lib. xii. & l. nemo, in fi. de offi. mag. off. & c. miramur, lxi. distinct. cum si. Ac sane accusandi sunt Principes, qui temere has effundunt dignitates, ut passim fruantur indigni. l. eum qui, C. de Decur. in quos satis ingeniose, & eleganter inuenitur Cynus in l. i. C. de iur. & fact. ignor. Sed concedamus ut etiam uero milite sermo sit. Comitem tamen ex legitimandi, similiq. auctoritate, quæ diuinitatis quandam naturam refert, præferendum puto; qui licet redditum non habeat, auctoritatem tamen habet, & dignitatem. Bald. in d. c. i. Dec. in l. i. col. vi. de offic. eiu. cuius quidem dignitas, & auctoritas multis aliis iuris in locis probari uidetur, ut in Bald. in i. Const. C. & apud ceteros in l. Gallus. §. nunc de lege, de lib. & posth. & in l. i. de uerb. oblig.

Qua-

Quapropter ſicut Doctor Equite dignior eſt, ac eidem omni iure præfertur ex his quæ Lanfranchinus ipſe, Signorol. Bolognin. ac alii in quæſtione de milite, & Doctore erudite diſputarũt: ita ex omni iuris ratione debet Eques ipſe Comiti omnino cedere.

An Sapientes iuriſdictionem habeant, eorumq. conſulendi facultas a ſtatuto limitata prorogari poſſit. Cap. XVII.

SILENTIO non eſt prætereundum, an Sapientes in collegium recepti iuriſdictionem habeant: cum quicquid ipſi ualeant, & poſsint, in iure conſiſtat, ac nihil aliud ſit iuriſdictio, quàm iuris poteſtas ſecundum Azonem in ſumm. de iuriſd. omn. iud. & a Sapiente omnia pendere uidentur, quãdo maxime iudex cogitur ſequi conſiliũ Bar. in l. ſi conuenerit, de re iudica. Calcan. præciſe, in conſ. lxxxii. Quia tamen aſſeſſores, qui alias conſiliarii appellantur, iuriſdictionem non habent, l. conſiliarios, C. de aſſeſſor. iuncta glo. in rub. de offic. aſſeſſor. & iuris poteſtas, quæ iuriſdictio nuncupatur, apud iudicem reſidet: dicamus Sapientes non habere iuriſdictionem, ſed tantum iuris conſilium. Spec. in §. ſed nunquid, de requiſ. conſ. Sapiens enim nec terminos ſtatuit, nec teſtium depoſitiones publicat, ſed ſolum ſuper concluſa cauſa conſilium tradit, ut inquit Cuman. conſ. cxlv. Vbi etiam diſputando concludit, Prætorem Montiſilicis committere debere cauſas Sapientibus collegii Patauini: quod ſane conſilium quia in omnibus agri Patauini Rectoribus locum habet, pro uniuerſo noſtratium Sapientum, ac ciuiũ honore, & commodo animaduerſione dignum eſſe cenſui. Item Sapiens (ut reuertamur eò, unde digreſsi ſumus) eſt ſicut ille qui relaturus eſt, qui non pronuntiat, ſed referendo alium iudicem facit. l. i. cum glo. iii. in fi. C. de relat. Baldus autem tollit omne, ſi quod extaret, dubium in c. ſi pro debilitate, ubi etiam Panor. de offic. delega. Præterea iuriſdictionis uocabulum ueritatem indicat,

E 2 ſiue

siue denominetur a iuredicundo, siue(secundum Azonē) a dictione, quæ potestatem indicat. nisi forte latiori significatione uelimus dicere, Sapientem consulendi potestatem habere, ab ea quidem, cuius meminit Azo, admodum dissimilem. confirmemus ex eo, quòd iurisdictio habetur aut a lege, aut ab homine. l. i. de offi. ei. a lege non habet Sapiens, quia nulla lex, aut statutum reperitur, quod ei tribuat iurisdictionem. ab homine.i. a magistratu committente, non potest dici data, quia Sapiens diceretur delegatus. d. l. i. §. qui mandatam, & post mortem committentis non posset consulere, quia morte mandantis euanescit iurisdictio.l. & quia, de iurisd. omn. iud. & tamen (ut infra lib. iii. dicetur) licet moreretur magistratus, qui Consilio Sapientis causam commisit, non soluitur commissio. Sed ne hic alia, quæ oriri posset, quæstio omittatur, dicam consulendi facultatem, quæ a statuto astringente iudicem habere consilium limitata esset usque ad certam summam, partium consensu prorogari non posse, tametsi in iurisdictione prorogatio ipsa tolleretur. Salyc. in l. certa ratione, C. quand. prouoc. Guid. Papæ in Decis. q. cclxxxv. et dcxxvi. quod ea ratione uerum esse existimo, quia prorogando iurisdictionem, iudici fauemus. sed in prorogando facultatem consulendi iudicē astringimus, ut consilium habeat, præter legis metam. c. cum in ueteri, de electio. Innoc. in c. nec Episcopi, de temporib. ordina. quod non solum fieri non potest, sed & e diametro aduersaretur iis, quæ de consilio per iudicem habendo, paulo inferius tractabuntur. Conclusio ideo erit, nec Sapientes iurisdictionem habere, nec partes, restrictam a lege consulendi potestatem prorogare posse.

Si collegium aliqua ex calamitate ad paucos sit redactum, an qui extra collegium sunt, ad consulendum adhibendi sint. Cap. XVIII.

Extra ordinem collegii, de quo superius mentio facta est, præcipuus hic subiici potest casus a Baldo ob-

seruatus

ſeruatus in c. quia propter, in fi. de elect. quòd ſi collegium ad paucos peſtis calamitate, uel alia de cauſa ſit redactum, per eum, qui extra collegium ſit, ſuppleri poſsit, illius textus, & gloſſæ argumento, ubi ſtatuit Pontifex, unum ex Canonicis abſentem in electione faciēda alteri ex his, qui in collegio ſunt, committere poſſe uices ſuas: & ſi nullus ex ipſis (inquit gloſs.) uices accipere uoluerit, alius religioſus eligi poterit. Eodem pertinet argumentum ſpiritualis iudicis: qui ſi ſolus aliquo in loco reperiatur, temporalem poteſt iuriſdictionem exercere. Bald. in c. bonæ memoriæ, ii. col. iiii. de poſtula. præla. & faciunt argumenta, quæ colligi poſſe uidentur ex l. cum ſpecialis, C. de iudic. & Bald. in l. ii. uerſ. ex hoc nota, C. de his qui propt. met. iud. non appella. Ego unam hac in re rationem afferam, quæ ex hac, quam trademus, orietur diſtinctione. Nam ſi legis conditores, ſolo conſeruandæ uirtutis ſtudio adducti, ſtatuerūt, eum tantummodo, qui in collegio eſt, ad Sapientis officium admitti debere, negarem poſſe eum, qui extra collegium ſit, conſulere, cui iam uirtutis uia ſatis patuit, ut ſtatim tali ordine ſe dignū oſtenderet: ac ideo ſibi eſſe imputandum, ſi per eum ſtetit. ar. nota. in l. diem functo, de off. aſſeſſ. in l. ſi pecuniam, paulo poſt princip. de cond. cau. dat. & in l. qui cōcubinam, §. uxori, de leg. iii. Sed ſi in collegium nobiles tantum genere admittantur, non curantibus iis, qui Sapientiam profitentur, ut quod ualde cupiunt Sapientum nomen diutius conſeruent, cum Baldo ſentirem eum etiam, qui extra collegium ſit, licet genere minime nobilem, modo doctum aſſumi licere. ar. l. ſed & reprobari, uer. ualde tamen diſciplinatos, de excuſat. & clare per Sicul. in materia collegii in c. cum uiceſimum, col. viii. de offi. deleg. ex iuſta quidem & legitima cauſa, quæ ſemper a communibus regulis excepta intelligitur. l. ſi hominem, manda. glo. in l. ſenatus conſulto, de offic. præſid. maxime cauſa peſtis, ex qua omnis iuris ordo ab aula recedit. Ang. in §. quia uero autem, in auct. de non aliena. Guid. Papæ in Deciſ. q. dxliii. & in collegio præ-
ciſe

cise Sicul. in c. proposuisti, col. vi. de probat. licet is iurisperitus ex collegio non sit, est tamen de illorum ordine, ex quorum scientia totus terrarum orbis illustratur. Bald. in auct. habita, §. nanque C. ne fil. pro patr. Matth. Afflict. in pro. Decisi. Neapol. Et hoc extraordinario casu de doctrina illius, qui extra collegium est, stabitur arbitrio boni uiri. i. iudicis, secundum iuris terminos. l. continuus, §. cum ita, de uerb. oblig. glo. in c statutũ, in uerb. copia, de rescript. lib. vi. ac electus extraordinaria iuris iurandi delatione a iudice ipso astringendus erit. quæ iuris iurandi religio, ut fides hominibus præstetur, multum prodest. Roman. in l. i. in fin. de uerbo. oblig. Castren. in l. de pupillo, §. qui opus, de oper. no. nunc. & pro hoc & facient Spec. et Bar. supra cap. xiiii. citati. Atque ex his confirmatum remanet a supra dicta, quam tradidimus, distinctione, non esse recedendum. Si enim publicæ utilitatis studio collegiũ a ciuibus ordinatum est, ne imperiti consulant: quo modo is, qui extra collegium est, poterit unquam consulere? si uero odio aliorum ciuium, nobiles tantum genere in collegium cooptandos statutum est, cur doctus iurisperitus, in hac collegii calamitate, non assumetur?

Lex prohibens exterorum consilium, nisi partibus suspecti sint omnes domestici Sapientes, an requirat ab utraque parte suspitionem. Cap. xix.

De uniuerso etiam collegio agitur, cum quæritur an lex prohibens exterorum consilium, nisi partibus suspecti sint omnes domestici Sapientes, requirat ab utraque parte suspicionem. erit iccirco hic locus suus a Spec. memoratus in §. quid si est, de requis. cons. Nec uidetur, cum una tantum pars Sapientes suspectos habet, exceptioni, siue conditioni locum esse, ut extranei adiri possint, si uerbum multitudinis in lege positum inspiciatur, ac uer-

borum

borum proprietati ut par est attendamus plurali, scilicet, elocutioni, quæ quorum numero constituta est. l. ubi nu merus, de testib. l. inter illam, §. ult. de uerb. signif. præsertim in materia suspectorum. Nam facilius est (ut scribit Arist. lib. 1. rhet.) habere unum, uel paucos Sapientes, quàm multos. et non hac solum ratione, sed & ratione eundi extra ciuitatem, quæ iuncta naturæ legis municipalis uidetur omnino restringenda. Bart. in l. iii. §. hæc uerba, de neg. gest. cum si. Contrarium tamen credidit Spec. ex l. cum non solum, §. ipsum, C. de bon. quæ liber. Vbi Iustinianus ait: leges quæ a parentibus alendos esse liberos imperauerunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ab utraque parte uertitur. Accursius intelligit illud, Ab utraque parte, disiunctiue. quoniam si ambo inopes essent, unus alterum alere non teneretur. l. i. &. ii. C. de alen. liber. Et in proposito nostro, cur oritur suspicio, nisi quia uni parti magis quàm alteri Sapientes fauere uere mur? raro enim accidit, ut utrique parti suspicio insit. uera itaque est Speculatoris sententia, quæ etiam probatur ex l. rescriptum, §. i. cum glo. de pact. & l. sed Celsus, §. i. de contrah. empt. Hinc non semel a iurisprudentibus obseruatum est, pluralem numerum in singularem resolui. l. si ita fuerit, de manu. testa. & §. si uero absunt, in auct. de hered. & falcid. tres saltem testes (inquit ibi lex) in conficiendo inuentario interesse debent, quia tabulariis non credimus. Alio etiam modo probatur hæc pluralis in singularem resolutio, ex l. i. §. si plures, de eo per quem fact. eri. & l. si duo, §. i. si quis caut. quod adeo uerum est, ut generaliter, & in exorbitantibus quidem legibus muni cipalibus, naturali ratione suadente sibi locum uindicet. lex enim excludens feminas existentibus masculis, eas etiam excludit, si unus tantum masculus existat. Bald. in l. i. de condit. insert. Item si uigeat lex ut uir lucretur dotem uxore prædecedente sine filiis, dotem non lucrabitur, etiam si decedat uxor, uno tantum relicto filio. Sicul. in c. Raynutius, col. xxviii. de testam. facit glo. in c. secundo requiris, de appella. & Bart. in l. iii. §. negotia, de neg.

Nec

Nec propterea fateor, materiā hanc ita exorbitantem esse, ut durius non sit a suspecto homine consilium expectare. l. apertissimi, C. de iudic. nota. in l. quia poterat, ad Trebellia. natura enim insitum est suspectorum insidias declinare. c. ult. incip. quod suspecti, in fi. iii. q. v. & præcise in Sapiente qui iudici comparatur, maxime cum eius consilium necessitatem affert, ut eleganter notat Ang. in cons. clxxxvi. qua ratione leges sinceritati fauentes, quancunque etiam modicam suspicionem admittunt. glo. in c. R. Canonicus, de off. deleg. c. ex insinuatione, de appell. Spec. de recusa. §. ii. glo. in c. ad hæc, de rescrip. Cum igitur legis sensus, non uerborum cortex inspiciatur, l. iii. C. de liber. præte. atque ex magis absurdo, & odioso contraria absurdi, & odiosi ratio cesset, l. ita uulneratus. uers. quòd si, ad leg. Aquil. conclusio erit, ut ex hac ciuitatis lege unius tantum partis suspicio sufficiat.

An iudex communi iure teneatur habere Consilium Sapientis. Cap. xx.

PRO municipalium iurium interpretatione multum proderit, non ignorare, an teneatur iudex communi iure habere Consilium Sapientis; maxime quòd ex multis eo iure uidetur iudicem teneri, & tamen ueritas in contrarium uidetur esse. Vt debeat iudex habere consilium, facit quod de peritioribus consulendis, ac de consilii robore habetur in l. si auiam, C. de ingen. manum. & in l. dubium, C. de repud. & quod legitur, Imperatorem ipsum profiteri omnia cum peritorum consilio se facturum, in l. humanum, C. de legib. scientis enim est (inquit Plato in Alcibiade) de unoquoque consulere. & facilius inuenitur (ait Pontifex) quod a pluribus quæritur. c. de quibus, xx. distinc. interpretaturque Accursius uerba, Deliberatione habita, posita in l. ii. C. de senten. ex pericul. recitan. i. cum Sapientibus: quorum consiliis iudicium compositum, integrum existimatur. c. prudentiam, de off. deleg. Decis. Rotæ DCCLXXIII. in antiq. Ad rem pertinent

nent quæ habentur in c. si habes, xxiiii. q. iii. & quæ notantur a Bald. in l. placet, C. de sacrosanct. eccles. cum ibi additis, & quod dicit glo. in c. ut debitus, de appe. Possem alia non pauca pro hac opinione exempla subiungere, quæ studio breuitatis missa facio; præsertim cum nulla lege, aut coniectura adduci possim, ut existimem cogi iudicem posse ad habendum consilium. & huius opinionis est Puteus in tract. de syndic. sub titu. de offic. syndic. & c. cap. iudices puras, nu. ix. Bald. in cons. clxx. lib. iii. & Ang. cons. lxxxviii. contra enim adductæ auctoritates quæstionis nostræ terminos non definiunt, sed si recte perpendantur, consulunt proprie, & non cogunt, ut ex multis aliis exemplis clare patet, ab ipso Puteo recitatis, de re milit. in cap. An principes iure belli teneantur concedere pugnæ iudicium, & assumere partes iudicis, & c. Alias itaque solutiones quid adducam? Rem ita se habere plane admonemur illius iurisiurandi forma, quo se iudices obstringunt, cũ primum magistratum ineunt: in qua non solum iudici non præcipitur, ut consilium accipiat, sed nec in ea ulla de hoc mentio fit. in auct. iusiur. quod præstat. cui iungamus textum sub nomine assessoris dubium decidentem in c. statutum, §. assessorem, de rescript. lib. vi. Castrens. in cons. vi. in nou. lib. i. & Bald. in d. l. si auiam. Tametsi quidam causam difficilem a facili distinxerint. quod mihi nunquam placuit. quia lex iudicibus ipsis difficiles, arduasq́. præcipue causas committit. l. i. ibiq́. nota. de off. eiu. cui mand. Et quamuis dicat Baldus Prætores, uel, ut ipse ait, Potestates terrarum qui litterarum sunt imperiti, non debere ex ipsorum tantum consilio, sed cum Consilio Sapientis deliberare, in l. solent. §. legatos, de offic. procons. id tamen ex supradictis rationibus non probo, nisi consilium specialiter a lege, uel a Principe impositum fuerit. Innoc. in c. si pro debilitate, de off. deleg. Nam si litterarum imperitus potest esse iudex, sequitur ut etiam a iure solutus censeatur, quo ad ea quæ uiro docto conuenire solent. Imol. & Felin. in c. sciscitatus, §. illiteratus, de rescrip. Et his consequens

erit, ut cum triplex sit consilium: primum necessitatis, ut in c. Mattheus, in fi. de simon. secundum professionis, ut in glo. c. ad aures, de æta. & qual. quibus omnino credere debemus, glo. & Sicul. in clemen. i. de testib. ac tertiũ utilitatis, cui nemo credere cogitur, quamuis utile sit, l. ii. mandat. Felin. ubi late de omnibus in c. i. de constit. ut hoc nostrum Sapientis Consilium utilitatis censeatur, ut pote utile, & quod recusare iudex potest. l. consilii, de reg. iur. Dyn. in reg. nullus ex consilio, de reg. iur. Ceterum, iudex, qui consiliũ habere non cogitur, si Sapientis illius uerba, Ne innitaris prudentiæ tuæ, ante oculos habere maluerit, non poterit nisi summopere eius prudentia commendari.

An, partibus inuitis, iudex consilium habere possit. Cap. XXI.

SICVT proxime uisum est, an cogatur iudex habere Consilium Sapientis, ita est hic etiam uidendum, an, litigantibus inuitis, iudex consilium habeat. Hac in re, ut breuibus agamus, sic ego distinguerem. Aut sponte sine partium interuentu, aut litigatorum ope uult iudex Consilium Sapientis habere. Primo casu, iudicem non damnarem, nec eum prohiberi posse dicerem, si cum ei oportunum uidebitur, aliquem consulere uoluerit. glo. in c. super quæstionum, de offic. delega. Catald. de Synd. num. clxii. cum in incertis, dubiisq. rebus prudentis iudicis sit, Sapientem consulere. glo. in c. statutum, §. assessorem; de rescript. lib. VI. Bald. in l. obseruare, §. proficisci, xxxi. q. de offic. proconsf. & lega. cum aliis sim. quis enim ita prudens est, qui aliquando peritiorem aliquem non adhibeat? l. Aquilius regulus, de donat. l. quæsitum, de fund. instruct. instr. legat. Nam Sapiens audiens sapientior erit, & ibi erit salus, ubi erunt consilia multa, dicitur in prouerb. cap. I. & xxiiii. in quibus terminis loqui uidetur Bart. in tract. de cons. haben. uers. xii. quæro, & apertius Castrens. cons. vi. uers. iii. ita ut existimem, cum ex

se

ſe iudex, ſine partium diſpendio conſulere cupit, non ſolum impediri non debeat, ſed inuitari potius, ut conſilium habeat. l. ſi ædibus, de damn. infect. & l. in bonorũ, de bonor. poſſ. Deciſ. Rotæ, DCCLXXIII. quanta enim cõſilii contemptores quandoque incommoda fuerint conſecuti, monent nos præter cetera textus & gloſſa in c. per uenit, LXXXIIII. diſtinct. & c. denique, VII. q. I. & quàm proſit a Sapientibus habere conſilium patet ex l. ſicuti, de arbitr. & Bald. in c. quia propter, col. IIII. de elect. Secũdo caſu regula erit aduerſa, quoniam iudex, & publice conſtituitur ut iudicet, & iudicare tenetur. l. II. ibiq. nota. C. de ſentent. ex pericu. recitan. atque ex ſe (ut ait ibi Baldus declarans Butrigarium) iuriſperitiam habere debet. l. II. quod quiſque iur. l. ſi iudex, de uar. & extraord. cog. Quod nihilominus uerum eſſe intelligit Baldus ipſe, ſi ratione peritiæ electus fuerit, ſecus ſi idiota iudex, uel arbiter, quia iſti partibus mandare poſſunt, ut ſuper puncto iuris Sapientem eligant, ac Sapientis honorarium deponant. l. IIII. §. in iudicio, fin. regun. aitq. ita conſuetudine ſeruari. pro quo facit diſtinctio relata in additionib. ad Spec. de requiſ. conſ. uerſ. ut autem, & quod prolixe notat Feli. in c. ſciſcitatus, uerſ. illiteratus, de reſcript. & Alex. in l. ſi conuenerit de re iudic. Intelligitur etiam regula, niſi cauſa dubia eſſet. quam ſuo arbitratu iudex cõmittere poteſt. Deci. in c. intimaſti, de appella. Bald. in l. non ſine, in princ. C. de bon. quæ lib. & in l. III. C. de adulter. & Ang. in auct. ſi uero contigerit, C. de iudic. & niſi iudex deprehendatur ideo cauſſam uelle committere, ut onus cognoſcendi ſubterfugiat, uel ut alicuius partis indignationem non incurrat. l. II. C. de legib. Inno. & Bald. in c. ſi pro debilitate, de offic. deleg. Generaliter autem quæ dubia cauſa cenſeatur, colligi poteſt ex notatis a Balbo in l. II. in fi. C. de legib. & Iaſo. in l. I. de tranſact. ſed locus hic ſiet dilucidior ex infra notandis de cauſa clara lib. II.

Lex, ut, altera parte petente, causa committatur Consilio Sapientis, an ualeat. Cap. XXII.

Huius nostræ ciuitatis ciues cognoscentes uitam hominum (ut inquit Dionysius) beari legum præceptis, & deterrimam esse illam Remp. ex Aristotelis sententia lib. IIII. Politic. in qua leges non pollent, præter ceteras, legem tulerunt, quæ, altero ex litigatoribus petente, Sapientis Consilio causam committi iubet. Hæc autem lex, iure communi inspecto non uidetur ualere ex loco Spec. in §.i.uers.si uero, de requis. cons. ubi Spec. malam, ac reprobabilem iudicat consuetudinem, quæ in tota Italia uiget, ut Sapientes eligantur qui examinent acta iudicii, ut secundum eorum dictum iudex pronuntiet; motus tum auctoritate summi Pontificis in c. ad nostram, de consue tud. tum ratione quia multa ab istis consultoribus contra quàm decet commiti possent. Facit etiam pro hoc Lamberti Decisio, quam ibi in additio. ad Spec. refert Ioannes And. de requis. cons. uers. ut autem, inquiens, si iusserit lex condemnationes fieri debere de consilio quattuor hominum illius loci, ualet cõdemnatio etiam hominibus irrequisitis. Ac ideo uidetur, debere iudicem ipsum ueritatem inquirere, ad quem præcipue pertinet cuncta rimari. c. iudicantem, XXX. q. V. l. iudices, C. de iudic. Bartolus tamen & Bald. contrarium censuerunt, ille in l. si conuenerit, de re iudica. hic in l. unica, C. ne lice. tert. atque idem existimarant Rofredus, Oldradus, & Nicol. a Ioanne And. citati eodem in loco. cum omnes ipsi concedunt, isto casu sententiam latam absque consilio esse minus rite latam, ac contra ordinem iudiciorum ex l. iiii. §. condemnatum, de re iudic. & l. prolatam, C. de sentent. & interloc. omn. iud. & ex generalibus rationibus, quæ colliguntur ex l. quidam decedens, §. i. l. Titium, & Meuium, in princ. de admin. tutor. l. Pedius, in fi. de arbitr. & l. si quis mihi, §. pater, uers. si coram, de acquir. hered.

red. Rationem earum rationum, quas in argumentum sumimus, opinor esse: quia si a Principe uel ab eo, cui Principis auctoritas imperitia est, iurisdictio iudici dari potest, & data diminui, auferrique. l. quidam consulebant, in fin. de re iudic. l. Barbarius, uers. cum etiam, & ibi gl. de off. Prætor. Butri. in c. cum olim, de arbitr. & in c. si pro debilitate, de offic. delega. quanto magis ualebit lex de Consilio Sapientis, quæ nullam (ut tradita supra cap. xvii. ostendunt) potest auferre iurisdictionem? Aliorum quoque exemplorum, & auctoritatum plena omnia, & inter cetera uide Castrensem cons. vi. in nou. Ang. cons. clxxxvi. & Alex. cons. lix. lib. IIII. Et quamuis in lege non diceretur, ut altera parte petente commissio fieret, cite intelligeretur. Ang. in cons. cxl. & Hypp. Mar. in rubr. de fideiuss. Non obest c. ad nostram, quia secum affert solutionem, in illis uerbis auditis præsentibus, litteratis, & illiteratis, sapientibus, ac insipientibus, præsumiturq. ibi, sententiam non ferri a iudice, in illis aliis uerbis, Sententia a non suo iudice lata, & cōceditur leuato (ut aiunt) uelo, iudicium fieri: quod non nisi in certo & proprio casu lex ipsa admittit. l. pen. C. de naufrag. lib. xi. Quòd pleraq. indigna ipso Sapiente euenire possent, cessat omne dubium, cessatq. ratio decisionis Lamberti, nam præterquam quòd huiusmodi turpis præsumptio iure non admittitur, l. iniuriarum, actio, §. i. de iniur. l. cum pater. §. rogo, ibiq. glo. de leg. ii. diximus nos Sapientes nostros, & iurisperitos esse, & publice constitutos, & maiorem, uel eandem saltem ipsis fidem haberi, quæ & iudicibus solet, supra cap. iii. iiii. & v. Plane iuris dignitas non patitur, ut ex imperitorum consilio, ordinariorum iudicia fiant. alias in compromissi naturam, in aliud ue simile transiret, in quo ei culpa adscribitur, qui se obstrinxit. l. diem, §. stari, de arbitr. l. cum mandato, in fin. de minor. Lexq. abhorret, ut sententiæ a Romanorum iure discrepent, a quo uulgares homines sæpe aberrantes sub æquitatis specie in apertissimam iniquitatem incurrunt. Bald. & Castrens. in l. i. de iust. & iur. & ualet etiam commissio

missio Delegato facta, cum clausula, ut procedat cum cō silio talis. Felin. post alios in c. si pro debilitate, de offic. delega. Nil igitur efficiunt quæ contra obiiciebantur, quominus lex disponens altera parte petente, causam esse committendam, suas uires habeat.

Quid, si lex quamlibet causam committi iubet, uel unam tantum personam, aut familiam adstringat. Cap. XXIII.

VALERE legem diximus, quæ, altera parte petente, causam committi iubet. quid dicemus, si generaliter disponat quamlibet causam, Sapientis adhibito consilio expediendam? ualebit (ut opinor) hæc utilis, & æqua consilii lex instar alterius, quemlibet litigantem adstringentis ad compromittendum. quam ualidum esse non negauit Alex. in rub. solut. matr. & Deci. in l. qui se patris, C. unde liber. Si enim ualet illa de compromisso lex, quamuis ex ea (ut dicunt interpretes) corrigatur iuris communis dispositio, & ordinariæ repugnetur iurisdictioni, quod odiosissimum est: Guid. Papæ in decis. q. xviii. quãto magis hæc de consilio procedet, ex qua (ut ostendunt ea, quæ supra cap. iiii. & xvii. tradidimus) pronuntiationes iuri congruentes fiunt, ac ordinaria conseruatur, & confirmatur iurisdictio? atque huius quidẽ argumenti ea uis est, ut nihil præterea res desideret. Verũ, quid diceretur, si præcipua extaret lex, unam tantum personam, uel familiam adstringens ad petendum cõsilium? Hoc sane uidetur dubium, si prius cõsideremus, an in particularẽ personam aliquid statui possit, & pro hoc legantur tres Felini conclusiones, in c. cum omnes, de constit. quod scilicet, statutum factum ex causa probabili specialiter cõtra aliquẽ ualeat. Ang. in l. impetrata, C. senten. rescin. non poss. & Imola in d. c. cum omnes & in c. ulti. de his quæ fi. a præla. sine cons. capit. quod factũ sine causa plane iusta in præiudicium tertii, tã diu subsistat, quàm diu ille patitur, sed eo reclamente uel supplicante reuocatur. Ang. in l. ii.

quod

quod quisque iur. Anch. in d. c. ulti. quòd item ita ualeat in fauorem singularium personarum, sicut & in odium. Albert. in prima parte stat. q. xvii. cum aliis si. Cessare autem omne dubium arbitror, si animaduertamus legis naturam uniuersalem esse debere. l. iura non in singulos, de legib. §. in auct. de hered. & falcid. audi diffinitionem, Lex est commune præceptum uirorum prudentum consulto, l. i. de legib. quam Iason inrerpretando inter cætera hoc notandum collegit, legis naturam uniuersalem esse. unde populus qui statuta facere potest, Bald. in l. i. de iust. & iur. si, exempli gratia statuat, ut frumentum, uel caro tali uendatur pretio, contra particularem personam id statuere non posset. Bar. in l. nemo exterus, C. de Iude. & axioma sumptum est, (ut ait Bude. in l. legis uirtus, de legib.) ex duodecim tabulis, in quibus sic cauebatur. Priuilegia ne irroganto. Cicero pro domo sua. quo iure, quo more, quo exemplo legem de capite ciuis indemnati tulisti? uetant leges Sacratæ? uetant duodecim tabularum leges priuatis hominibus irrogari. Idem paradox. iiii familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, ut si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exulares. Vide etiam quod pro declaranda legis natura inquit Pau. Manutius in lib. de legib. his uerbis. Est igitur lex tanquam præco, qui, suggerente natura, iustitiam ciuibus enũtiat. In particularem igitur personam, uel familiam statui non posse, dicendum est. ex quo sequitur, nec legem ualere particularem cogentem personam, uel familiam ad petendum consilium: sicut nec ualet illa, ex qua particularis cõpellitur persona ad compromittendum. Bald. in i. constitut. Cod. Ias. in d. l. i. de legib. Nec me mouent Felini conclusiones, quibus diligenter animaduersis constabit legem factam, uel in fauorem, uel in odium alicuius particularis non esse propriæ legem, sed potius sententiam, uel deliberationem quandam circa prærogatiuam alicui tribuendam, uel pœnam irrogandam: ideo non legem, sed bene placitum appellari. Bald. in l. iudicibus, in princ. C. de appellat. Exempla a Felino tradita ueritatem demonstrant,

cum

Cum ait, Specialem personam iudicari posse hostem, & rebellem in exilium mitti, & ciuitate priuari. Bald. in l. amissione, §. qui deficiunt, de capit. dimi. & in d. l. i. de legib. & cum ait, fauore alicuius, qui ratione uirtutis prærogatiuam meretur, statui posse aliquod singulare bonũ, ut inuitentur homines ad uirtutem, pro utilitate reipub. Bald. in auct. habita C. ne fil. pro patr. cum aliis locis, & sim. Non ualeret itaque huiusmodi lex de consilio a particulari requirendo. Et licet lex ipsa ab his condita, qui statuendi potestatem habent in ciuitate obseruaretur, do nec aliud contra decretum fuerit, id tamen minime nostram infirmaret conclusionem, ex qua deciditur subiectam dispositionem in uim legis non ualere; quæ irrita etiam fiet ab iis, qui ius habent faciendæ legis, reclamante eo in cuius præiudicium facta est. tum quia natura legis est, ut uniuersalis sit, tum quia iniqua censetur populi uoluntas de consilio a particulari habendo; cum nulla pro ipsa uoluntate adduci posit ratio, quæ non itidem ad multas personas posit accommodari.

Quid, si lex ita dicat; iudex sequatur Consilium Sapientis. Cap. XXIIII.

VVLGATA circumfertur regula, neminem ex consilio obligari. l. consilii, de reg. iur. & c. nullus, eod. titu. lib. vi. Et ratio est, quia in accipientis potestate erat, & sequi, et non sequi consilium, l. ii. §. ult. l. si uero non remunerandi, §. si adolescens, mand. qua ratione, lex, ut debeat iudex sequi Consilium Sapientis, tanquam a iure abhorrens, nullas uidetur uires habere. c. ult. de consuetu. c. ex frequentibus de institu. & c. cum causa, de re iudic. Putauit tamen Bart. huiusmodi legem ualere, cum, ut iudex litem suam non faciat, hos duos casus æquaret, ut scilicet partes consentiant sententiam ferri ex Consilio Sapientis, aut ciuitatis lege iudicem cogi ad sequendum consilium in l. si conuenerit, de re iud. facitq. quod ab eodem notatur in l. in bonorum, de bon. poss. & ab

Alex.

Alex. in additio. ad Bart. in l. i. §. si plures, de exercitor. ubi dicit si ualet conuentio partium, iudicem cogi iudicare secundum conscientiam Sempronii, d. l. si conuenerit, magis ualebit lex, quòd cogatur sequi consilium. & si ex pacto fieri potest, multo magis legis auxilio, glo. in l. neque ex Prætorio, & l. neque pignus, in fi. de reg. iur. cum aliis ab Alex. citatis. sed hanc consequentiam non uideo esse tutam, quandoquidem ubi de partium præiudicio agi uidemus, plus efficit pactum, quàm legis dispositio. c. uenientes, de iureiur. iuncta l. ult. in fin. C. de tempor. appell. tametsi ipsam Bartoli & Alexandri opinionem mihi probari non nego, a qua non recidit Bald. in. l. unica, c. ne licea. tert. prouoc. cum ait, Quando statutum requirit fieri pronuntiationem ut in consilio, tunc consilium est causa formalis, & materialis, sine qua nulla res subsistit. l. Iulianus, ad exhib. l. seia, de aur. & arg. leg. & se subscripsit Fulgos. cons. cxxxix. & Castren. cons. vi. lib. i. Decisionis uero rationem eandem esse arbitrarer, quæ & pro alia lege cogente iudicem habere consilium supra cap. xxii. reddita est. quibus enim statuta condere licet, eadem & restringere, & limitare concessum est. Bar. in l. omnes populi, de iust. & iur. Canon. in c. i. de constitut. ratio autem quare uoluerint ciues, ut iudex cogatur sequi consilium (ut opinor) est, ut partes se citius è litibus eximant, quod semper iuris prudentibus summæ curæ fuit. l. quidam æstimauerunt, si cert. peta. cum si. litibus nempe iustissimus, atque honestissimus finis imponetur, si lis decidatur, & nulla inter iudicem, & Sapientem oriatur contentio. clariorem adhuc exigis rationem? uide quod sæpe diximus, maiorem uel saltem parem fidei, & doctrinæ uigere rationem in Sapiente, quàm in iudice. quibus magis accedit confirmatio, si præter cetera utriusque litigatoris unanimis consensus (de quo infra lib. iii.) in eligendo consideretur.

An lex de habendo, & ſequendo Conſilium ſit odioſa, uel fauorabilis. Cap. xxv.

POSSVNT hæc duo ſimul conſiſtere, legem ciuitatis ualere, & odioſam eſſe. Exemplum eſt in ea quæ de homicidio loquitur, quæ ualet, & ob eius odium in homicidio qualitatibus affecto locum non habet. Ancha. in c. i. de homicid. iuncto Panor. in c. at ſi clerici, de iudic. Ideo lex de habendo, & ſequendo Conſilium Sapientis licet ualeat, odioſa tamen eſſe uidetur, quia a iuris communis diſpoſitione abhorret. Bald. in l. i. in. i. oppoſ. C. quand. Imper. Iaſ. in l. ſi quis in ſuo, C. de inoff. teſtam. additis iis, quæ dicebantur ſupra prox. cap. & xxii. ſicut & odioſa illa dicitur, quæ litigantem quemlibet compellit ad compromittendum, ut nota. in l. qui ſe patris, C. unde liber. Blanc. de compromiſſ. q. i. num. iiii. Tamen quia ſupra cap. iiii. & v. ratione publicæ utilitatis Sapientis Conſilium inuentum eſſe demonſtrauimus, legem quoque de eo loquentem fauorabilem dicemus. Bart. in l. ſi conſtante, in nona q. ſolut. matr. Felin. in c. tranſlata, nu. xiiii. de conſtitu. iuncto Spec. in §. iii. uerſ. habito, de aduocat. quod & aliis non paucis iuris in locis probari poſſet. Inſigne exemplum eſt illud de lege excludente feminas exiſtẽtibus maſculis, quæ a pleriſque fauorabilis prædicatur. Bart. in l. ii. §. uidendum, ad Tertulian. Albert. Brun. in tractat. de ſtatut. iiii. q. princip. quamuis e diametro Iuſtiniani conſtitutioni aduerſetur, qui accuſatores naturæ appellauit eos, qui feminis maſculos anteferunt. l. maximum uitium, C. de liber. præter. Sed non ne in pœnis ſui natura odioſiſsimis publici fauoris ratione de ſimilibus ad ſimilia licet procedere? Bald. in l. ſi quis id, de iuriſd. omn. iud. cum ſi. Quid ergo erit lege noſtra fauorabilius? quæ non ſolum odioſa non eſt, ſed ex ea homines (ut iam ſæpe uidimus) magnis commodis, & propemodum infinitis fauoribus afficiuntur, eoq. magis, quòd nec iuri communi aduerſatur, immo uia eſt, ut tradidimus ſupra,

pra, ut secundum ius ipsum commune, & citius quidem quæstiones terminentur. potius ergo erit hæc lex, præter ius, quàm contra ius: inter quas dictiones, nō parum in iure discrimen constituitur. Innoc. in c. si diligenti, de præscript. & Guid. Papæ in decis. q. DCXXIX. in fin. nil autem ualet obiectum de compromissi lege, quæ hoc casu non bene cum nostra de Sapientis Consilio cōparatur. ex ea enim de compromisso ordinaria destruitur iurisdictio, ideo odium præualet Bald. in l. generaliter, uers. pone, C. de episco. & cleric. Guid. Papæ in decis. q. XVIII. ex hac uero de Consilio iurisdictio ipsa penes iudicem substinetur, licet ex Consilio pronuntiatio fiat, ut supra cap. XVII. probatum est. unde si agnoti tantum ad compromittendum compellantur, ea ratione cessante, omnes quoque affirmarunt esse fauorabilem legem. Saly. in l. non ideo minus, C. de hered. instit. Alex. in l. i. §. lex falcidia, ad leg. falcid. Quocunque ergo te uertas, municipalis hæc lex tam circa habendum, quàm sequendum consilium, omni fauore digna existimabitur.

An, uigente lege de committendis causis, Rescriptum Venetum ualeat, ut Venetorum causæ non committantur. Cap. XXVI.

CHRISTOPHORI Mauri Ducis Venetiarum, Rescriptum statuens Venetorum causas Consilio Sapientis non esse committendas, non uidetur uigente generali lege de committendis causis, communi iure ualere, si duplex huius nostri consilii ratio perpendatur supra cap. iiii. adducta. Est sane Rescriptum contra legem ac ipsius Principis confirmationem, quam Princeps seruare iure debet Alberic. in l. Princeps, de legib. not. in l. digna uox, C. eod. Apertis deinde sanctionibus omnes iudices admonentur, ut quodcunque Rescriptum reiiciant, si cōtra leges uideatur, quæ locorum hominibus utiles essent.

l. ult. C. si contr. ius, uel utilit. publ. l. nec damnosa, l. rescripta, C. de precib. Imperat. offeren. siq. alio Rescripto Francisci Foscari eiusdem Reip. Ducis, perinde Veneti tractandi sunt, ac si Patauini ciues essent, origineq. inde duxissent, cur non etiam Venetorum causæ Sapientis Consilio committentur? c. si postquam. §. ult. ibi glo. in uerbo, prouisione, de electio. lib. VI. Ias. in. §. ex maleficiis, nu. XXXIX. instit. de action. quomodo item fieri potuit Rescriptum non auditis iis, de quorum proximo interesse agitur? gloss. in l. nam ita diuus, de adopt. l. ult. cum ibi nota. C. quibus res iudic. non noce. Valet tamen Rescriptum, si clausulam inspiciamus in eo appositam, Non obstante aliquo statuto, quod cõtrarium innuere uideatur, ex qua sine dubio Rescriptum ualet. Bald. in d. l. ult. C. si contr. ius: uel cum a Principe cum Senatu neminem recognoscente superiorem, & non ignorato legis municipalis tenore, Rescriptum factum sit. Ias. in l. ex hoc iure, col. iiii. de iusti. & iur. iuncta glos. magna in l. ii. C. quæ sit long. consuet. nulla enim alia ratione non tenent Rescripta, nisi quia præsumit lex, Principem statuti tenorem ignorare. c. i. de constit. lib. VI. cum uero non ignorat, si uult derogare potest. l. iii. §. Diuus, de sepulcr. uiol. Rotæ Decis. iii. in nou. & sicut non ualeret municipii lex nisi illam Princeps confirmasset, ita & ipsam restringere, ac limitare potest. Bart. & alii in l. omnes populi, de iust. & iur. Canoni. in c. i. de Constitut. Necesse autem non est aliquem audiri, quando Princeps uel motu proprio quicquam facit, uel ab eo etiam gratia impetratur. Panor. in c. cum olim, cum addit. Antonii Franc. de Doctor. de re iudic. Ius uero Venetis a Senatu indultum, Francisco Foscaro Principe, utendi beneficio statutorũ, est pro damnis datis in eorum prædiis, ideo contra eos quoad alia non retorquebitur. l. quod fauore, uulga. minus ex plebiscito aliquo municipali potest Principis potestas coerceri, qui semper præsumitur subditos suos amore prosequi. Panor. in d. c. cum olim, Decis. Dalph. q. DCXXXI. & Decis. Rotæ cxii. in antiq. maxime quòd & statuta

ſtatuta in fauorem ſingularium perſonarum cum aliqua ratione ualent. l. neque Dorotheum, C. de decur. lib. x. & Felin. late in c. cum omnes, de conſtitut. Rationem Reſcripti duplicem pariter eſſe arbitror, ne Veneti ex cõſilio ſubditorum ſuorum iudicentur, & ne cogantur in appellatione extra domicilium ſuum litigare. Sed quid eſt opus coniecturis ſi in ſtatutorum cõfirmatione inſerta eſt clauſula reſeruatoria, Saluo iure addendi & minuendi? quæ cum iis, quæ ſupra deducta ſunt, omnino efficit, ut Sereniſſimi Venetorum Principis Reſcriptum ſenatuſconſulto non ſine ratione factum, noſtro etiam iure ualeat.

An differat, ſi lex dicat; Ferantur ſententiæ de Conſilio Sapientis: uel ſi dicat, cum Conſilio Sapientis. Cap. XXVII.

NECESSARIVM eſt ut dubitemus pro clariori eorum, quæ dicturi ſumus, intelligentia, an differat, ſi in lege dicatur, Iudicia fiant de Conſilio Sapientis; an ſi dicatur, Cum Conſilio Sapientis. ſi quidem aliud in iure ſignificare uidetur dictio De, & aliud dictio Cum. Nam dictio De cauſam proximam materialemq. ſignificat. Bart. in l. i. §. ſi plures, de exercitor. ſicut & dicitur de dictione, Ex l. i. cum ibi nota. C. ſi ſeru. exter. & l. non dubium, C. de legib. cum ſi. Eodem pertinent uerba ſummi Pontificis, cum ait, Nec quiſquam debeat ueſtem induere de lana, linoq. contextam, in c. cum cauſam, de electión. & Baldi exemplum in l. ex arrali, C. de action. empt. facitq. l. i. §. nam etſi, de coniung. cum emancip. liber. At dictio cum, copulæ uim aſſumit. l. ſi mulieri, de uſuf. accreſcẽ. & l. ſi ancilla, de leg. i. ideo nil differt. Vtrum legatur, Titio, & Meuio, an Titio cum Meuio. utrobique enim coniunctim legatum uidetur. l. Titiæ textores, §. nihil, de leg. i. æquanturq. a lege iſti caſus, Titius & Meuius ex parte dimidia heredes ſunto: uel Titius cum Meuio ex parte dimidia

dia heredes sunto. l. triplici, de uerb. signif. & quandoque etiam dictio, Cum, caussam efficientem denotat: ut Sempronius cum telo ambulauit hominis necandi causa. l. is qui cum telo, C. de sicar. sed in re consilii nostri nil differre uidetur, ut, De, uel, Cum, in municipium lege scriptum sit. tendit profecto utraque dictio ad eundem finem, ut scilicet habito consilio causa expediatur. quemadmodum dicitur in coniuncta, & disiuncta: quæ eadem suadente ratione eiusdem sunt significationis. l. pen. C. de uerb. signif. gloss. in clem. sæpe, in uer. & figura, in fi. de uerb. signif. & ita sentire uidetur Bart. licet non præcipue in consilio nostro, in d. §. si plures. qui Martini distinctionem reprobans, ostendit inter harum dictionum uim, & naturam nullum esse discrimen. sed quomodo hæc uera sunt, si propria natura dictionis, Cum, est, ut non copulet? Bart. in l. i. de pecul. lega. & natura dictionis, De, copulare uidetur? Archidiac. in c. i. ne sede uaca. lib. VI. Cuman. cons. LV. maxime quòd iuris interpretes differentiã constituerè solent, inter has dictiones iuxta personarum & rerum qualitates, quibus adiiciuntur. Bart. in l. si ita, §. quæstio, de manu. testa. Quid igitur dicemus? Veritas (ut opinor) erit in consilio nostro, inter has dictiones nõ paruam esse differentiam, et sane huiusmodi, ut si in lege dicatur, De Consilio Sapientis, iudex teneatur secundum consiliũ iudicare; secus uero si dicatur, Cum Consilio Sapientis. quod satis probari uidetur ex Archid. & Cuma. proxime citatis, Bald. in c. cum in ueteri, de electio. Corn. in cons. liii. col. ii. lib. i. & Luc. de pen. in l. omnes, prima, nu. LXVII. C. de decur. lib. X. Quamuis autem inter has dictiones, quo ad Consilium nostrum, prædictam affirmauimus esse differentiam, id tamen quod dicit Baldus in l. unica, C. ne lice. tert. his uerbis, ubi lex præcipit accipi Consilium Sapientis, uidetur tacite ad ulteriora procedere, scilicet ut, Consilio omisso, sententia sit ipso iure nulla; in utriusque dictionis casu, eadem suadente ratione, locum habebit.

An clausula, Arbiter sententiam ferat secundum talis Sapientis Consilium, uitiet compromissum. Cap. XXVIII.

POSTREMVM huius libri erit, quod declarabimus, an compromissum ualeat, in quo posita est clau sula, Arbiter sententiam ferat secundum talis Sapientis Cōsilium. Et quamuis nullum hac in re dubium esse uideatur, cum in contractibus, ultimis uoluntatibus, & iudiciis semper ipsius consilii conditionem plurimi faciamus, l. idemque, §. si quis ea, mand. l. quidam decedens, §. pap. de admini str. tutor. Innocen. in. c. si pro debilitate, de offi c. delega. Dubii tamen præcipua causa est, quod alias quærebat Pomponius, & quod postea respond. Vlpianus; si ita cōpromissum sit, ut quod Titio disceptatori placet, id Seius pronuntiet, quis est cogendus? Censuit Vlpianus arbitrium tale non ualere, in quo libera uoluntas arbitri sententiæ non est futura. l. item si, §. idem Pompo. de arbitr. solo enim nomine arbiter diceretur, si omnia ad placitum Titii agenda essent. l. sed & si pupillus, §. sed si in totum, de inst. action. cuius rei & in terminis Consilii Sapientis late meminit Ang. in disputa. incip. duo inuicem. soluebant quidam ex uerbo, Placet, nō ualere compromissum, secus si, secundum arbitrium uel secundum Consilium, dictum fuisset, quia tunc boni uiri arbitrio intelligitur. l. fideicommissa, §. quanquam de leg. iii. Cum ab eodem etiam Vlpiano declaretur, compromissum uires habere, si arbitratu Titii, aut Seii factum sit in d. l. item si, §. sed si ita. Sed Vlpianus aliter etiam intelligitur, & uerus (ut opinor) intellectus est, magis ad litteram accedens. ut arbitrium Titii, aut Seii, pro compromissi confectione intelligatur, non pro arbitrandi potestate, Nec placet Bartolo uerbum, Placebit, intelligi de libera uoluntate, arbitratu

autem

autem de boni uiri arbitrio in l. i. §. ſi plures, de exerc. actio. quandoquidem & uerbum, Placebit, boni uiri arbitrium comprehendit. exemplum; legatum libertatis collatum in liberam uoluntatem grauati non tenet, l. fideicommiſſaria libertas, iii, Reſp. ii. de fideicommiſſ. liber. & tamen legatum, ſi heredi placebit, ualet. l. lucius, i, eod. titu. Nec eſt differentia ſecundum Bar. ſi dicatur De conſilio, uel, de conſenſu, de beneplacito, ut placebit, ut arbitratus fuit, ut uidebitur. ſed inutile eſſe compromiſsũ exſtimauit, in quo huiuſcemodi uerba poſita ſunt, ea ratione, quia cum talia uerba boni uiri arbitrium indicent, contra naturam arbitrii eſt, ut æque, ac inique arbiter pronuntiare non ualeat. l. diem, §. ſtari. de arbitr. Et hac eadem ratione reprobat opinionem Accurſii putantis compromitti poſſe, ut feratur ſententia pro ut tali ſapienti uidebitur. in l. illa inſtitutio, de hered. inſtit. ſed ſi dictum ſit, ut, arbiter pronuntiet conſilio Ticii ſimpliciter, tunc ualet quod geritur, cum hoc caſu liberam arbiter uoluntatem habiturus ſit, in ſequendo, uel non ſequendo conſilium. Spec. in §. ſequitur, uerſ. ſed quid ſi dicatur, de arbitr. ubi etiam quorundam opinionem refert exiſtimantium, clauſulam, De conſilio illius Sapientis, pro non adiecta haberi, ex l. ſi in lege, in princ. l ocat. quã opinionem reprobat ibi Ioannes And. prædicta ratione motus. licet enim non cogeretur arbiter ſequi conſilium, id ſaltem ex ueriſimili compromittentium mente requirere deberet. ar. l. quidam decedens, & l. Ticium, reſponſ. i. de admin. tut. cum aliis a Spec. adductis. quibus addamus Baldum in l. i. C. de arbitr. & in d. l. illa inſtitutio. Itaque ſatius erit a concluſione Bar. non recedere, ab eo etiam clarius explanata in d. §. idem Pomponius. ut huiuſmodi compromiſſum nullas uires habeat, ſiue clauſulam ſecundum primam expoſitionem, ſtricto modo, ſiue ſecundum Bart. boni uiri arbitrio intelligamus; niſi tamen aliud inducat regionis conſuetudo, quã in his præcipue terminis omnino ſeruabimus. Bal. in d. l.

illa

illa institutio: ut ex ea arbiter saltem requirere consilium debeat, licet sequi non cogeretur. quod utilissimum esse poterit. c. cum in ueteri, de election. Butri. in c. cum olim, de arbitr. Roman. in rub. de arbitr. col. viii. & ab hoc interpretationem recipiet, quod dicimus, arbitrum partibus mandare posse, ut Sapientem eligant. Bald. in l. ii. C. de senten. ex pericu. recitan. Lanfranc. in tract. de arbitr. vii. parte, q. xxxix. Atque de ui, & natura Consilii Sapientis, de personis consulentium, & his, quæ circa prædicta uersantur, hactenus dictum sit.

DE CONSILIO SAPIENTIS,

IN FORENSIBVS CAVSIS ADHIBENDO, LIBER II.

A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTVS,

AD BARTHOLOMAEVM VITELLIVM.

In committendis causis Consilio Sapientis, an reo magis, quàm actori, fauendum sit. Cap. I.

S VPERIORE libro, quæ sit uis, & natura, quæ origo Consilii Sapientis, item quis in ordinem Sapientum referri debeat, quæq́ue leges hoc de Consilio latæ iure ualeant, satis opinor declaratum est. nunc eas causas, quæ Sapientis Consilio mandari possint, quæq́ue contra, & quando, & a quibus Consilium liceat petere, ostendamus. Oportunum autem erit, ab iis quæstionibus initium sumere, quæ ex legibus municipalibus oriuntur, tanquam iis, quæ magis initio iudicii conueniunt, & quarum actio sæpius coram magistratu contingit: cui a plerisque Principibus legis de Consilio Sapientis obseruatio demandata est; ac ideo ipsi magnæ curæ esse debet. siquidem (ut inquit Cicero lib. I. offic.) proprium est magistratus intelligere se gerere personam ciuitatis, debereq. eius dignitatem, & decus sustinere, leges seruare, iura distribuere, ea fidei suæ commissa, meminisse. Et imprimis quodam modo præmittentes uideamus, an in causis committendis, reo magis, quàm actori, fauendum sit. adeo enim reus fauorabilior uidetur, ut si ex lege petito Sapientis Consilio causa committenda est, ad rei tantum uoluntatem

tatem

tatem committenda uideatur, sicut in compromisso cen suit Castrens. cons. xiii. lib. II. ubi de municipii lege interpretanda agebatur, cuius series indefinita erat: quem Alex. in cons. ccliiii. lib. VI. & cxliiii. lib. VII. ac plerique omnes post eum scriptores secuti sunt. Hoc tamen ipse in Consilio Sapientis non probo: cessant enim in eo rationes, quæ in compromisso uigent, cum stari arbitri sententiæ debeat, siue æqua, siue iniqua sit. l. diem, §. stari, de arbi. & cum ex municipii lege compromissum fit, iudicatur de iure, & de facto. i. sine iuris solemnitate, & sine causæ cognitione. Bart. in extrau. ad reprimendum, in uerb. uidebitur, in fin. & in cons. lxxxii. qua uia unicuique apertum esset (ut ait Castrens.) iniuste uexandi aliquem, eum in ius uocando, ut ipsum ad compromissum deducat: quo interdum contra ius grauatur quis, & inique aduersario suo præda tribuitur. quod nos experientia ipsa docet. c. quàm sit, de elect. lib. VI. l. cum hi, §. si cum lis, ibiq. Ang. de transact. Consilium uero nostrum oritur ex iure solum, & a Sapiente ipso, ut supra lib. I. cap. ii. iii. iiii, & v. dictum est. et in eum qui temere quæstionem mouet, ac frustra Consilium requirit a legibus, constitutæ pœnæ (de quibus in §. tripli. de action. & in §. i. Instit. de pœn. temer. litig.) ita imminent, ac si a solo iudice ordinario iudiciũ fieret. et hoc modo licebit actori quod & licet reo, iuxta iuris dispositionem, l. ult. C. de fruct. & lit. expens. cum si. Si igitur lex iubet causam committi Consilio Sapientis ubicunque fuerit petitum, tam ad actoris, quàm rei nutum commissio fiet. quia etiam indefinita æquipollet uniuersali l. si pluribus, cum ibi nota. de leg. i. nota. in l. stipulatio ista. §. si quis ita, de uerb. oblig. idemq. esset si lex simpliciter statueret, causam esse committendam; si quidem etiam petente parte intelligeretur. Ang. cons. cxl. Alex. cons. cxxii. col. pen. lib. II. Hipp. Mars. in rub. de fideiuss. Neque uero in casu suo Castrensis putat actorem repelli, quando ex productis iuribus res dubia sit, & constet fictionem, dolumq. abesse, ar. l. tutor, in princ. de iureiur. alioqui calumniantẽ iudex non

audiret. l. satis aperte, C. de fals. glo. in l. qui cum maior, §. si libertus, de bon. libert. Non ne saltem in dubio, in partem rei iudex procliuior erit? l. Arrianus, de Actionib. & oblig. Bart. in l. de die, qui satisd. cogant. sicut (quod magis est) si inter pares numero iudices, diuersæ sententiæ proferantur, pro reo constitutum obtinere oportet. l. inter pares, de re iudic. non erit utique iudex, ut sentio, pro reo pronior, quia in litis ordinatione, magis actori, quàm reo iura fauent. Spec. de iuram. delatio. uers. sed cui, Bart. in ea l. de die; licet quoad ea quæ ad causæ decisionem spectant, iudex in fauorem rei facile inclinet, d. l. Arrianus, & l. fauorabiliores, de reg. iur. Quare, siue actor, siue reus Sapientis Consilium petat, eadem iusti fauoris uis in iudicio considerabitur.

Si una pars ex lege commissionem, altera compromissum petat, cui magis obsequi debeat iudex. Cap. II.

CVM duæ in ciuitate leges uigent, una sanguine coniunctos impellens ad compromittendum, & altera iudicem ad committendam causam, dubitarunt quidam si in iudicio compromissum ab uno ex coniunctis petatur, & ab altero Consilium; quis a iudice audiatur. Non dubito ego, uigente lege de compromissis præcipua & propinquorum causa lata, si compromissum requiratur, negotiũ esse compromittendum, ex insigni utriusque iuris regula statuente, generi per speciem derogari, l. in toto iure, de reg. iur. c. generi, eod. titu. lib. VI. Alex. in materia statuti, in conf. lviii. lib. IIII. Exempla patent: quod enim nominatim legatum est, ex generali concessione detrahi uidetur. gloss. in l. uxorem, §. felicissimo, de leg. iii. & ex particulari præsumptione eliditur generalis. Bart. in l. cum de indebito, in princ. de probation. restringiturq., Heredes, generalis locutio, ex adiectione, suos: quod & Bartolo ipso magistro didici in rub. de nouo. C. componen. uers. uenio ad secundam. notaturq. in Decis. Dalph.

q. cccvi. & magis quidem particularis erit diſpoſitio, ſi perpendamus mentem, ac uerba ipſa legis de compromiſsis, uolentis inter coniunctos, non de iure ſolum, ſed & de facto procedi; cuius clauſulæ ſignificationem declarat Bart. in extrauag. ad reprimen. in glo. in uerb. uidebitur, in fin. Quod etiam alia confirmo ratione, quia præueniens in compromiſsi petitione locum relinquere commiſsioni non uidetur: cum petatur cõſilium prope finem iudicii, etiam poſt concluſionem in cauſa, ut inferius loco ſuo declarabitur; compromiſſum uero ex lege municipali multo ante peti debeat. Caſtrenſ. in l. ult. C. de compenſat. & Lanfranc. de arbitr. part. vii. q. xlv. ſi uero compromiſſum petitum non fuerit, quis contra poterit ex ingenio probare Conſilium peti non poſſe? generaliter (dicebat lex) parentes, & liberos Prætor excipit, nec gradus enumerauit. in infinitum igitur eis præſtabitur. l. i. §. generaliter, de legat. præſtand. unde ſatis percipimus, regulam illam procedere, legem ſine diſtinctione diſponentem, ſine diſtinctione eſſe intelligendam. l. iii. cum gloſſ. de offic. Præſid. de qua Alex. conſ. lxiii. lib. IIII. et præſertim in hoc Cõſilii beneficio locum habebit, quod cum ob ſummæ utilitatis cauſam, ſupra lib. I. cap. iiii. expoſitam, introductum ſit, omnes etiam perſonas comprehendet ab alia lege fauorem conſecutas. l. quique, & l. parentes, de in ius uocan. alias hi, qui ſanguinis neceſsitudine iunguntur, quibus fauor omni iure debetur, ceteris deteriori conditione ſubſiſterent. quod abſurdiſsimum eſſe nemo negabit. Bart. in l. i. C. de impon. lucra. deſcript. iuncto §. qui autem excuſare, in ar. Inſtit. de excuſat. tutor. Qua ratione, ſi factum compromiſſum ex lapſu ſtatuti termini euaneſcat, ita ut cauſa deuoluatur ad ordinarium, Sapientis Conſilium nullo modo denegari poſſe arbitror.

An, quia lex iusserit coniunctorum causas summarie expediri, committi illæ possint ex ui alterius legis de Consilio Sapientis. Cap. III.

ALIO ex iure municipali alia oritur quæstio, an lex iubens coniunctorum causas summarie, omniq. iuris solemnitate omissa, tractari, indultum ab alia lege Cõsilium impediat. Qua in re putauit Bart. impediri nõ posse prioris legis de Consilio Sapientis obseruationem, in l. iiii. §. eritque, ui bon. rap. quia plebiscitum municipale, quoties per uiam regulæ procedit, & in aliis censetur repetitum. ar. l. regula, in fin. de iur. & fact. ignor. & l. species, de aur. & argent. lega. quemadmodum lex, quæ de unoquoque actu citationem requirit, censetur repetita in lege noua, modum ad recitandam sententiam tradente. l. de unoquoque, de re iudic. iuncta. l. ii. C. de senten. ex peri. recitan. pro quo facient ea, quæ notat ipse Bart. in l. i. §. ii. ad l. falcid. addita cõsideratione glossæ in clem. i. uerb. curam, de supplen. negl. præla. Contra hanc opinionem urgere uidetur, quod dici solet; uniuersalem legis formã non attendi, quando particularis extat dispositio. l. doli clausula, de uerb. oblig. l. sanctio legum, de pœn. & adeo quidem, ut non solum species deroget generi, iuxta notata supra cap. prox. sed & indiuiduum deroget speciei. Dyn. in c. generi, de reg. iur. Bald. in l. gallus, §. ille casus, in fi. de liber. & posth. Accedit etiam personarum qualitas in lege posita, cuius non paruam in iure rationem habemus, l. ii. de stat. hom. l. Iustissime, de ædilit. edict. l. assiduis, C. qui potior. in pign. hab. Exemplum erit, si ex una lege, pupillorum sententiæ a Prioribus ciuitatis executioni mittantur, & ex alia, sententiarum excedentium summam librarum centum, Prætor executionem committat, pupilli sententia, et si librarum ducentarum sit, a Prioribus executionem merebitur. Bald. in l. executorẽ,

col.

col.vi.C. de execut. rei iudic. Deci. conſ. ccxxii.lib.II. Ratio eſt, quia lex reſpiciens perſonas, magis ſpecialis cenſetur. ut probant notata ab eodem Baldo in l.i.q.iii. de off. conſu. & in l. i. §. ubi autem, uerſ. uidi dubitari.C. de caduc. tollen. Et hac ratione fuit illa non leuis alterca tio, an teſtamentum cæci, in quo tot requiruntur ſolemnitates, ualeat inter liberos, cum duobus teſtibus; ſiquidem qualitas cæci, & qualitas liberorum inuicem pugna bant. Bald. in l. hac conſultiſsima, col. i. C. qui teſta.fa ce. poſſ. Non erit tamen, ut arbitror, a ſententia Bartoli recedendum, cum facile ſentiam, huiuſmodi legem cen ſeri tacite repetitam, tũ quia nil prohibet cauſam, in qua ſummarie proceditur, Sapientis Conſilio committi, ut lo co ſuo inferius dicetur: tum quia lex remittens ordinem iuris, alterius legis ordinem non uidetur remittere. not. in l. ita nobis, C. de adult. Bart. in l. i. §. i. quod ui, aut clam. Caſtrenſ.conſ.ccccl x vii. lib. I. alias nimis quodam modo moſtruoſum eſſet, ut fauor odium pareret, & ſanguinis coniunctio, quæ multis in caſibus prodeſſe ſolet, in hoc ad impetrandum tantum ex Conſilio beneficium obeſſet. confirmantur prædicta ex notatis a Baldo in l.i. C. ne lice. ter. prou. & Imola in d. clem.i. in fin. quare mi nime oberunt ea, quæ de ſpecie ſolita derogare generi di cebamus, & quæ obſeruabant iidem Bald. & Imo. in l.coheredi, §. qui patrem, de uulg. & pupill. ac quæ conſiderauit Alex. in additio. ad Bart. in d.§. eritque. Sanguinis quidem fauore cauſæ proceſſus citius finem accipiet: Con ſilium uero Sapientis, nulla poſcit ratio, ut denegetur.

Iubente lege cauſam iuris protomiſeos, ſeu iuris congrui coram Prætore tractari, an eadem, & committi poſſit. Cap. IIII.

LEGE in ciuitate ſancitum hoc eſt, ut agnatus, uel ui cinus, qui cupiat in ſe uendita præferri, apud acta tabellionis Prætorii notandum curet, ſe rem ipſam emere uelle, penes eum pretium deponendo, qui Prætori, uel eius Vicario

Vicario idoneus uideatur. quæ uerba cum ciuium mentem fuisse indicent, ut coram Prætore tantum, uel Vicario huiusmodi negotia agantur, causam etiam afferunt ut quandoque petito Sapientis Consilio altera pars contradicat, affirmans ex illis uerbis electam fuisse iudicantis industriam, & alios eligi non posse. l. inter artifices, de solution. c. ult. §. is autem. de offic. deleg. Bald. in c. si pro debilitate, eod. titu. quemadmodum, & in delegatione causæ indubitata est apud omnes conclusio in l. i. de offi. eius. facitq́. l. i. §. ne autem, c. de caduc. tollen. adeo enim in iure industriæ personæ ratio habetur, ut in contractu facio ut des, ius prælationis extinguat, nota. in l. ult. C. de iure emph. et in Decis. Dalphin. q. D viii. Suaderi etiam potest hæc opinio ratione speciei derogatoriæ generis, iã satis in duobus proximis capitibus explicata. quæ hic etiam robur accipiet ex diuerso procedendi ordine, atque ex præcipuis illis uerbis legis, & ex quo huius modi uerba in lege superuacanea essent, nisi in aliis differentiam constituerent, contra glo. i. in l. i. quod met. caus. & nota. in l. si quando, de legat. i. contrarium tamẽ (ut opinor) uerius est ratione potissimum repetitionis subintellectæ, & ex omnibus aliis, quæ in eisdem duobus cap. annotauimus. Industria autem Prætoris, uel Vicarii non comprehendit nisi electionem depositarii, & celerẽ actorum expeditionem. consequens ergo est, ut limitatũ producat effectum, l. in agris, de acquir. rer. dom. l. age, C. de transact. non impediendo legis ordinem, ar. nota. in l. ita nobis, C. de adult. & in l. i. §. i. quod ui, & clam. Quod si ex consilio tot oriri utilitates diximus, quæ nam esset hæc pro agnatis, coherentibus ue fauoris species? Nec dicuntur superuacanea esse illa legis uerba, quæ aliquem effectum pariunt ex nota. in §. quibus. i. Constit. Cod. et late a Feli. in c. solitæ, de maior. & obed. Eodem pertinet, quòd nec mens, nec uerba legis repugnant Consilio Sapientis; sicut (uerbi gratia) uerba, et mens legis de compromittendis coniunctorum causis, quæ necessario extraneos excludunt. Bart. Ang. & Castren. in l. i. §. lex

falci-

falcidia, ad leg. falcid. non eſt ergo aliquid nominatim prouiſum, quod Sapientis Conſilii legẽ infirmare poſſit. immo ſi conſilium prohibitum non eſt, uidebitur conceſſum ar. l. nec non, §. ii. ex quib. cauſ. maior. l. ab ea, de probatio. & ſi circa conſilium ipſum a lege nil immutatur, cum Iuſtiniano dicemus, cur ſtare prohibetur? l. præcipimus, C. de appell. quæ uero in hoc articulo de ſummaria, & clara cauſa ſæpe occurrere ſolent, inferius, ne ordo præuertatur, locis ſuis pertractabuntur.

Cum decretum in alienationibus minorum Prætor tantum, uel Vicarius ex lege impartitur, an de eo nullitas propoſita committi poſſit. Cap. v.

NVLLVM quandoque dicitur decretum ſuper alienatione bonorum minoris interpoſitum iuxta regulas declaratas a Caſtren. in l. cum hi, §. ſi Prætor, de tranſac. & Felin. in c. cum dilecta, de reſcript. Indeq́. dubium emergit an cauſa hæc ex eo proueniens decreto, quod uigore alterius legis Prætor tantum, uel Vicarius impartitur, Sapientis Conſilio cõmittatur. Porro induſtriæ rationem, cuius ſupra ſæpe meminimus, hic, quia ſic locus requirit, cogor iterare, cum Prætoris, & Vicarii denominatio in lege facta maxime ſpectanda uideatur. l. ii. C. de pedan. iudicib. & l. unica, §. ne autem, uerſ. quid enim, C. de caduc. tollen. Præterea ſi Vicarius decreti interpoſitionem committere non potuiſſet, quia ipſe agnatos, & minorem interrogando, ac perſonarum, rerumq́. qualitatem inſpiciendo cognoſcit, an expediat alienatio, nec ille uidetur poſſe, qui de nullitate iudicaturus eſt. ar. c. cum ad ſedem, de reſtitut. ſpol. & glo. in c. illud, uerſ. cõtraria, ibi item quia, xii. diſtinct. ut eo uinculo decretum ipſum diſſoluatur, quo colligatum eſt. l. nihil tam naturale, de reg. iur. In foro noſtro exemplum dari poteſt, ſi fingamus, decretum a Prætore fuiſſe interpoſitum, quo ca-

su nullitas ad Venetos iudices deuolueretur, & Sapientis Consilium cessaret. Cur igitur erit in Vicarii decreto diuersum, iam ab ipso statuto æquatum? l. si quis seruo, ibiq́. glo. ult. C. de furt. glo. in c. si postquam, §. ult. de elect. lib. vi. Hanc ego sententiam non probo, sed contrariam amplector: quoniam rationem non uideo, quare contrarium sentire debeamus, ut alias in simili dicebant Cuneus, glo. et Butriga. referente Bar. in l. præcipimus, C. de appella. Verba generalis legis de Consilio Sapientis clara sunt, mens est clarior, quæ ex ipsius legis ratione colligitur, de qua supra lib. i. cap. iiii. immo reor esse Sapientis proprium, perspicere, & consulere, an decretum sit rite interpositum: quoniam iis uirtutibus fulget, quas eod. lib. i. cap. iii, & iiii, memorauimus. Fateor nempe Prætoris, & Vicarii industriam in interpositione decreti electam fuisse, sed nego Sapienti inhibitum esse cõsulere, an recte, uel rite decretum ipsum factum sit. l. si uero, §. de uiro, solut. matr. l. Sancimus, C. de testam. alias id præsumeretur expressum, quod nunquam legislator mente cogitauit, contra l. Labeo, §. idem Tubero, de supellect. lega. & nota. in c. in obscuris, de reg. iur. l. vi. At si in facto Prætor apud nos huiusmodi causam suo assessori committit, ac ex ipsius relatione pronuntiat, cur nõ etiam ex Consilio pronuntiabit? ar. §. i. in auct. de iudic. iuncta. l. i. in ratione sui, C. de rela. eoq́. magis quòd Sapiens non pronuntiat, neque iurisdictionem habet, sed tantum iudici consulit, ut supra lib. i. cap. xvii. ostẽsum est. Ratio autem, quare Vicarius committere non potuisset, est, quia non dicitur caussa, tempore quo decretũ interponitur, nisi cum primum inter partes orta est contentio. Bald. in l. causas, C. de transact. & Alciat. in l. litis, de uerb. signif. Fallax item est regula dissoluendi eodem uinculo, cum & pluribus aliis modis dissolutio fieri posit, ut Deci. & Cagnol. ibidem annotarunt, licet non tam naturaliter: quia nihil tam naturale est &c. est modus loquendi apud iurisconsultos, sicut & in l. i. de pact. & in l. si per errorem, de iurisd. omn. iudic. Minus obest quod

quod diximus de cauſa ad Venetos magiſtratus deuoluta. nam cum apud eos, uetante Senatus lege, Sapientis Conſilium nunquam admittatur, de eo non bene arguitur ad caſum loci, ubi frequentiſsime Conſilium petitur. ratio enim non eſt ſimilis pro ut eſſe debet. l. generaliter, de fideiuſſ. Spec. in §. i. uerſ. quid ergo ſi dicitur, de teſt. Quis igitur melius quàm Sapiens intelliget, an bonorum alienatio ſecundum municipalia ſtatuta permiſſa ſit? quorum ſtatutorum cognitionem & ipſa Quiritum iura, & præſtantiſsimi legum interpretes pleniſsime docuerunt.

Miſerabilium cauſæ an committantur, cum lex Prætorem miſerabilium iudicem ſtatuit. Cap. VI.

CVM uiderint prudentes ciues, eos, qui Remp. tuentur ex Ciceronis ſententia, operam dare debere, ut tenuiores homines propter humilitatem non circumueniãtur, aliam condiderunt legem, quæ Prætorem miſerabilium iudicem ſtatuit. res quidem iuris utriuſque rationi admodum conſentanea. l. nec quicquam, §. ult. de offic. proconſ. c. ſuper, de uerb. ſignif. & propterea adeo fauorabilis eſt harum perſonarum conditio, ut ipſis quandoque a temporali iudice ad eccleſiaſticum facilis aditus pateat. Innoc. & Panor. in c. ſignificantibus, de off. deleg. qua lege uigente erit ne anterior lex de cõmittendis cauſis Conſilio Sapientis in miſerabilibus obſeruãda? lex de Conſilio Sapientis iam a legum conditoribus pro regula tradita eſt, & , ut probauimus ſupra cap. iii. cenſeri debet in ſequentibus repetita. & quare non intelligetur pro miſerabilibus repetita, ſi, ut dictum eſt ſupra lib. 1. cap. iiii. ex ea plerunque domi lites terminantur, aliæq. huiuſcemodi emanant utilitates? eadem igitur ratio, immo ualidior, & præſtantior, odium loco fauoris inſurgens, & alia, quæ in cauſis coniunctorum, iuris congrui, ac iudicialis decreti ſupra tradita ſunt, ſubiectam quæſtionem uidentur decidere; quæ ut non modo aliis, ſed ne mihi

etiam ipsi molestiam pariam, minime repetenda duxi. attamen contrarium sentio, monitus Constantini sanctione in l. unica, C. quand. imperat. int. pupill. & uid. Vbi inquit lex; si pupilli, uiduæ, aliique fortunæ iniuria miserabiles, iudicium suæ serenitatis orauerint, cum alicuius potentiam perhorrescunt, cogantur eorum aduersarii examini Sacratissimi Imperatoris sui copiam facere. hactenus ipse, cui etiam addamus. c. Regum, xxiii. q. v. & c. ab Imperatoribus, q. iii. considerata mente legis, in qua commissio pro miserabilibus nominatim facta indicat præcipuam legislatores de his rationem habuisse. l. i. §. dixerit, de public. & uectig. l. iii. §. i. naut. caup. statu. nam præterquam quòd huiusmodi personarum fauore recedimus a regulis iuris communis, Hostien. in c. ult. de iudic. Bart. & Bald. in d. l. nec quicquam, Specu. in §. vi. in princ. de off. omn. iud. hæc sane præcipua personarum ratio, quæ ueram iudicandi uim, & naturã respicit, præsumptam legis de Consilio Sapientis repetitionem impedit. c. ult. de off. deleg. sicut uidemus in causis pupillorum, & uiduarum, quæ, quando ex plebiscito municipali a Prætore terminandæ sunt, delegari non possunt, not. in l. i. de off. eiu. qua ratione, & tutoris dationem mandari, & causas meri, & mixti imperii delegari nullo modo posse constitum est. l. muto, §. tutoris datio, de tutel. & d. l. i. Hæc omnia tamen non me mouent, ut indistincte Sapientis Consilio aduerser: quod cum iure communi & sequi, & non sequi possimus, quid iudici notet (ut supra lib. i. cap. xxiiii. dicebatur) habere Consilium? non enim adeo miserabilibus fauendum est, ut aduersus alios iniustissimus. c. ex tenore, de for. compe. c. nuper, de dona. int. uir. & uxo. fateor quidem apud nos causam committi nõ posse, ubi duæ leges sunt, una iubens iudicem sequi debere Consilium, altera Prætorem solum miserabilium iudicem statuens: ex qua dictione, Solum, quilibet alius excluditur. l. aduersus, C. si aduers. rem iudic. l. his solis, C. de reuoc. donat. talis enim, uel similis dictionis taxatiuæ huiusmodi esse uim, & naturam passim in iure legimus.

mus. Bar. in l. uiros. C. de diuerſ. offi. lib. XII. Ang. in l. i. C. ubi & ap. que. maxime quòd in uolumine noſtro lex pro miſerabili condita non ſolum eſt poſterior, & præcipua, ſed & omninm ultima, & conſequenter magis attendenda. Bart. in l. omnes populi, col. xii. de Iuſt. & iur. & in l. ſi uer, de teſtam. mil. Verum ne fraus fiat legi de Conſilio Sapientis, & ne credamus de eo miſerabili legem loqui, cuius meminit Plato de legib. dialog. xi. ſciemus huiuſmodi nomine uenire uiduas, & pupillos, pauperes tamen, d. l. unica, Spec. de inſtrum. editio. §. nunc uero, uerſ. & ſcias quòd inter, & Alex. conſ. CXXI. lib. I. infirmos, debiles, ac omnes, quibus natura mouetur ad miſerandum. Azo in ſumm. quan. imper. inter pupill. & uid. Deciſ. Neapol. cclvii. quoſcunque etiam pauperes, quibus æs non ſuppetit, quo litem exerceant, cæcos, carceratos, & alios generis eiuſdem. Deciſ. Dalphin. q. cccc. et DLXI. Bald. in l. ii. C. de epiſc. aud. ſed melius eſt, ut hæc miſerabilitatis cognitio ex emergentibus qualitatibus iudicantis arbitrio relinquatur. Innoc. in d. c. ſignificantibus, & Bar. in d. l. unica. Nec credas ex eo cauſam committi non poſſe, quòd in miſerabilis cauſa Sapientis probitas ſuſpecta ſit, ſed ex ea tantum perhorreſcentiæ ratione, qua quilibet alius recuſari poteſt.

An, quia perſonæ pares non ſint, ideo cauſa committi non poſſit. Cap. VII.

TRIA in omni ciuitate hominum eſſe genera, præcipit Ariſt. lib. IIII. Politic. diuites, ſcilicet, pauperes, & mediocres: quorum ultimum eſt optimum, primum uero ſæpe odioſum. quia (ut idem inquit) diuites, & nimis potentes, non ſubiiciuntur, nec uolunt ſubiici, & hoc eſt cauſæ, ut ex antiqua conſuetudine, is, qui litigat cum potente, iure recuſet Conſilium Sapientis, ſicut in præcedenti cap. miſerabilis facere poteſt. odioſa enim adeo eſt huiuſmodi potentia, ut editi fuerint tituli, ne liceat potentio. patroc. litigantib. præſta. &c. & de alienatio. iudic. mutat.

mutan. cau. fact. contra uero quotidie legimus æqualitatem paritatemq́. qualibet in re esse seruandam. Spec.in §. ult. uers. in summa nota. quòd si reus, de dilat. & l. si cum dies, §. pen. de arbitr. Ea autem ratione consilii recusationem concedi puto, qua sæpe ad Principem, uel ad supremum magistratum licet confugere, ut ad Imperatorẽ in l. unica, C, quand. Imper. inter pup. & ad magnam curiam in Decis.Neapol. cclvii. alioqui mala contra Sapientis dignitatem, & probitatem induceretur præsumptio, quæ nec contra alium quemlibet induci solet. l. merito, pro soc. & l. seruos, de manu. testa. Hac in re Speculator dixit, quòd quoties alter litigantium aduersarii potentiã exclamat, uidetur consultores omnes ciuitatis habere suspectos. de requis. cons. uers. scias. ideo ipse in partibus Longobardiæ, potentiam exprobanti sæpe detulit iusiurandum, an id malitiose proponeret. ex l. Thesaurus, ad exhib. l. de pupillo, §. qui opus, de oper. nou. nuntiat. cum si. notatq́. ipse non passim huiusmodi recusationem admittendam esse, ac infert amplum, uel exiguum collegii numerum spectari debere. ar. c. sedes, de rescript. & l. i.de testib.siquidem ii,qui Consilium respuunt, a dolo abesse non uidentur, (maxime cum Forenses adeundi sunt, ad quos magno cum incommodo accedimus) sicut laude digni sunt, qui Consilium petunt. §. i. auct. ut cum de appella. cognosc.l. Aquilius Regulus, de donat. Sed ego cũ primum rationem antedictæ legis unicæ perpendi, generaliter, legitimeq́. opponi imparitatem ex potentia prouenientem arbitratus sum. quod confirmari posse uidetur ex l. illicitas, §. ne potentiores, de offic. Præsid. l. i. §. non solum, de postulan. & l. iii. C. de aduo. fisc. Nec in fraudem uidetur facere, qui omnes ciuitatis sibi suspectos affirmat, ex d. l. unica, & notatis a Felin. in c. i. in gl. in uerb. interrogatus, de iudic. præterquam quòd argumentum hoc casu non ualeret, de iudicibus ad Sapientes, quia sapientibus commodius caremus, quàm iudicibus, sicut iudicibus interdum facilius quàm testibus. glo. in c. cum R. de offic. deleg. non negamus tamen ad perhorre-

scentiæ

scentiæ ueritatem dignoscendam (cuius maxime ratio habenda est l. moderatores, C. de off. rect. prou.) & fraudis suspitionem tollendam, iurisiurandi religionem multum prodesse. c. statutum, de rescript. lib. VI. nota. in c. proposuisti, lxxxii. distinct. Plane fraus non uidetur ab eo committi, qui ob aduersarii sui potentiam ad maiorũ iudicum fidem, auctoritatemq. confugit.

An in lege prohibente committi nobilium causas cum plebeis, causæ Doctorum peræque omnium comprehendantur. Cap. VIII.

LICET uere nobiles sint, qui uirtutibus præstant, ut notata supra lib. I. cap. VI. demonstrant, tamen si lex prohibeat committi nobilium causas cum plebeis, intelligi debet (ut opinor) de nobilibus genere. & nil obesse reor, si diceretur Doctores legum nobiles esse, ratioq. redderetur, quia sacra ministrant, l. leges sacratissimæ, C. de legib. & nota. in l. i. de Iust. & iur. & quia in honestissimo dignitatis gradu constituti sunt. c. quanto, de magistr. Bart. in l. i. C. de nou. cod. facien. & quia (quod apertius est) generalis de nobilibus dispositio Doctorem comprehendere solet, l. medicos, C. de profess. & med. l. iudices, ibiq. Bart. C. de dignit. lib. XII. Guid. Papæ in Decis. q. ccclxxxviii. Sed quænam fuit, dicet aliquis, huiusce legis ratio? Ad nobilium quidem illius ciuitatis potentiam, de qua proxime egimus, legis canditores respexisse, satis intelligitur. quibus ipsorum forte nobilium, petentium ue insolentia, uel prauitas inuisa est, quæ ad omnes pertinet. Hæc enim non solum huius, sed, & legis causa fuit, ut scribit Paulus Manutius in lib. de legib. his uerbis: A corruptis moribus manasse leges, nemini dubium est: nam ubi continenter, & sobrie uiuitur, ubi colitur pietas, ubi iustitiæ locus est, quorsum ibi lex feratur? Quocirca, ut cetera prætermittamus, & huius legis

menti

Ratio est anima legis.

menti dunt axat obsequamur, distinguendum existimo. aut Doctor potens est, pluresq. ciues sanguine coniunctos habet, tunc ex ratione, quæ est anima legis, lex ipsa locum habebit. ar. eorum, quæ proxime tradidimus, & quæ habentur in l. i. §. ult. si ex noxa. cau. aga. & in l. i. C. ne lice. poten. aut ita Doctor animi nobilitate excellit, ut eum uniuersi ciues colant, & uenerentur. siquidem de illorum numero est, qui in iure quandoque Duces, & Comites, quandoque illustres, & egregii appellantur. l. i. & ibi gloss. C. de profess. qui in urb. Bald. in proœ. digestor. in fi. & l. iii. §. ult. qui petan. tuto. tunc licet huiusmodi uiri propria ex uirtute res suas æquius, & moderatius, quàm quiuis alii, gerere præsumantur, eadē tamen suadente potentiæ ratione causa cum plebeio non committeretur. et quoad hoc dicemus nil referre, an ex origine, uel ex accidenti quis nobilitatem habeat. Bart. in l. si ut proponis, sub uers. dico pro declaratione, C. de dignit. lib. xii. quo fit ut harum personarum conditionē, quæ apud omnes maxima est, in iure plurimi faciamus. l. sed & reprobari, uers. ualde disciplinatos de excusat. tutor. Aret. in §. penul. col. iii. Instit. de except. quando enim Doctor exiguæ doctrinæ, paruæq. existimationis esset, in ciuitatis lege non comprehendetur, cum & Doctorellus, & imperitus, & idiota a Baldo & Siculo citatis d. cap. vi. appelletur. quod probat Aret. in d. §. penult. Alex. in l. centurio, col. iii. de uulg. & pupill. & Felin. in proœ. de maior. & obedien. col. ii. Vnde in proposita lege, secundum huius tātum distinctionis terminos, Doctores nobilium appellatione uenire concludendum est.

An causæ summariæ ea natura sit, ut committenda uideatur. Cap. ix.

QVAE de summaria causa in iure tradita sunt, ita contraria uidentur Consilii nostri ordinibus infra sequenti lib. declarandis, ut committi posse non uideatur. Patet in causa summaria necessariū non esse, ut in scriptis actio

detur, clemen. exiui, §. sæpe, cum gloss. & Card. q. xiii. de uerb. signifi. & in ea non admitti exceptiones, quæ altiorem requirant indaginem. l. i. ibiq. Bald. C. ut in possess. legat. nec aliquam admitti iudicii solemnitatem iuxta notata per Anch. & Imol. in d. clem. sæpe. quinimmo in ipsius expeditione, æquitas contra ius scriptum seruatur. Bald. in l. obseruare, §. proficisci, de offic. procons. Roma. in rub. de arbitr. col. v. Atque ego ad patefaciendam ueritatem ita distinguerem. aut causa ita summaria est, ut non sit opus litis contestatione, cuius meminit Pontifex in d. clem. sæpe, ubi Card. & Alex. cons. l. lib. ii. ut puta quando sententia, quæ oritura est, ratione summæ a municipii iure determinatæ inappellabilis sit: tunc non puto commissionem admitti debere, quia calumniosa esset consilii petitio, ac propterea improbanda. Alex. in l. si sic stipulatus, de uerb. oblig. Ang. cons. cxxxvi. cum in huiusmodi causis minimi, aut modici etiam momenti, & sine impensa, & sine scriptis, nulloque seruato iuris ordine procedatur. auct. nisi breues, C. de senten. ex pericu. recitan. Guid. Papæ in Decis. q. DLxiiii. Aut, quamuis causa summariæ nomen habeat, porrecta tamen aliqua petitio fuerit, & lis contestata, secundum ea, quæ notantur a Bart. in l. ii. C. de senten. ex pericu. recitan. & in l. nec quicquam, §. de plano, de off. procons. ac dilationes licet breues datæ sint, uel dari potuerint. Bar. in l. Carbonianum, §. duæ autem, de Carb. edict. tunc nõ uideo quid ipsius causæ commissionem impedire possit; cum præsertim adhibito Cõsilio ea oriretur utilitas, quæ appellationem intra mœnia ciuitatis extingueret, ut supra lib. I. cap. iiii. dictum est. Idoneum exemplum erit de lege ciuitatis nostræ, ex qua, causa infra summam librarum centum summaria est, & Sapientis Consilio committitur, modo summam librarum quinquaginta excedat. et aperte uidetur decisum a Bart. ex mente Oldradi in l. iiii. §. eritq. differentia, ui bonor. rapt. quorum sententiæ adstipulatur Alex. d. cons. l. in fin. Sed si summaria causa in miserabilitatis, imparitatis ue qualitatem caderet, du-

bium ex iis decidetur, quæ proximis tribus declarata ſunt capitibus.

Quid in cauſa minoris, & curatoris hereditatis. Cap. x.

QVI minorum cauſam nolunt committi, exclamant, ob minorem ætatem litigantes non eſſe pares. l. i. C. de falſ. mone. & l. i. de minorib. cum ſi. ac iccirco locum nō eſſe commiſsioni, obſtantibusq́. notatis ſupra cap. vii. idq́. exclamant qui hereditatis iacentis cauſam agūt: quæ cum minoris conditionem æquet ex eo quòd ſibi conſtituitur curator, Alex. & Imol. in l. ad diem, de uerb. oblig. Ang. conſ. cxcii. eadem etiam ratione dicunt committi non poſſe. l. ſi quis ſeruo perſuaſerit, ibiq́. gl. C. de furt. atque adeo apud quoſdam inualuit hæc opinio, ut, niſi cōtrarium apertis rationibus probem, apud eos credibile non ſit. probari autem facile poteſt, & præcipue ex eo quòd lex rem reſpiciens minorem obſtringit. l. ſine herede, §. lucius, de adminiſt. tut. glo. in l. ii. C. quæ ſit long. conſuet. et quia minor, ſiue curator hereditatis, quando eius negotium ex Conſilio Sapientis finem ſumit, iure cōmuni dicitur uti, tum quia Conſilium hoc a communi iure originem traxiſſe diximus lib. 1. cap. ii. tum quia iure ſuæ ciuitatis utens, communi iure dicitur uti. l. ult. ibiq́. Caſtren. C. de in integr. reſtitut. Accedit probata regula, quæ eſt; ſtatuta generaliter diſponentia etiam minores cōprehendere. c. conſtitutus, de in integr. reſtit. Roma. ſing. ult. ideo minori currit terminus ad redimenda pignora a ciuium lege præfixus, Guid. Papæ in Deciſ. q. xxxi. minor includitur in ſtatuto præferente agnatos in re uendita, Bal. in c. ult. col. iii. uerſ. ultimo de materia, de conſuetu. & comprehenditur in alio de coniunctorum cauſis compromittendis, Caſtrenſ. & Alex. in d. l. ult. quod etiā in curatore hereditatis iacentis locum habet. Ang. in citato conſ. & Deci. conſ. xxii. lib. 1. Appellatio enim, quæ a ſententia lata ex Conſilio Sapientis (ut infra ſequēti libro

libro dicetur) interponi potest, omnem grauaminis dubitationem tollit. l. i. de appella. c. suggestum, ext. eod. tit. quod utique grauamen ex denegata tantum appellatione minori prouenire solet. l. si minor, §. minores, de minorib. l. si dictum, §. de euictio. Nec forte dicatur, si in causa principali suspicio inest, eadem inerit, & in appellatione ar. nota. a Dec. in cons. xi. num. vi. lib. i. Et Alexandrin. cons. xii. col. ii. negatur enim aliquam in Sapientes præsumi suspicionem: quinimmo dicimus, ex traditis supra lib. i. cap. iii. iiii. v. & vi. omnem pro Sapiente fieri debere præsumptionem; & propterea satis esse appellationem interponi posse, ut omnis de læsione querela cesset, d. §. minores, cum glo. de minorib. iuncta l. i. C. de arbitr. clarissime hoc significatur ex appellatione municipalis compromissi, in qua non tanta uiget, quæ in Cõsilio ratio; & tamen noui eliguntur arbitri, sicut nos diximus in Consilio Sapientes, & tamẽ minor circumscriptus non censetur, ut Castrens. & Alex. annotarunt in d. l. ult. quod adeo uerum est, ut, si ex sententia ab arbitris, uel ex Consilio Sapientis lata minor læsus fuisset, nec aduersus statutum ipsum restitui posset. Bald. in l. non uidetur, C. de in integ. restitu. min. Ang. in l. si plures, post princ. de pact. & Sicu. cons. xliiii. col. pen. in fi. lib. iii. Ex quibus, rationes contra Sapientes Consilium adductas satis infirmas esse, aperte constat.

Quid in causa eius, qui unus e collegio sit. Cap. xi.

NEGANT sæpe, qui litigant cum aliquo iurisperito, qui particeps collegii sit, causam Sapientis Consilio committi posse, dicentes & canonici causas, renuente parte, eiusdem ordinis canonico non committi. c. cum R. de offic. deleg. quia cum omnes (ut ibi inquit Pontifex) sociorum appellatione ueniant, societas, uel familiaritas ipsa suspicionem parere, & ueritatem circumuenire solet. c. in litteris, de testib. c. consanguinei, iii. q. v. quinimmo

talis est harum personarum coniunctio, ut non solum socii, sed etiam fratres appellentur. c. ad mensam, xi. q. iii. Panor. in c. i. de his quæ fiun. a maior. part. cap. quo fit ut pro iniuria facta uni de collegio uniuersum collegium agere possit. Oldr. cons. LXVI. & Decis. Dalph. q. ccccl xiiii. tametsi fateantur omnes, cum litigantes ambo in eodem essent dignitatis gradu constituti, prædictam rationẽ cessare, ex notatis a Baldo in c. i. col. i. de probat. & Dec. in c. postremo, de appellat. par enim affectionis causa omnem fraudis suspicionem aufert. l. non solum, §. i. de rit. nup. sed & milites, §. i. de excusat. tutor. Conabantur alii contrarium indifferenter probare, arguendo de compromisso ad Consilium Sapientis, dicentesq́. Abbatem in causa sui Monasterii arbitrum esse posse. Spec. in §. sequitur, uers. sed nunquid Abbas, de arbitr. c. cum olim, ibiq́. Panor. in v. nota. de præscript. & in quemlibet de collegio, ut ibi censuit Spec. licere compromissum fieri ar. c. insuper, de testib. Verum si quæstio nostra est, an, inuita altera parte, causa cõmitti possit, quid ad hanc rem exemplum de compromisso, quod ipsarum partium uoluntate procedit? Ea mihi tamen arridet opinio, uerum alia ratione; quæ est, quia hodie Sapientes publice constituuntur, ut diximus supra lib. I. cap. v. & quoad Consilii traditionem ordinarii censentur. Spec. in ar. de iud. delegat. §. iam nunc uers. item non obstat, & Felin. in rub. de off. deleg. circa fi. quo modo ergo uolumus, ex quo unus litigatorum e collegio est, ceteros omnes ordinarios & publice constitutos ita in uniuersum recusari posse? etenim hac indirecta uia totum collegium recusaretur: quod ita sine causa, & passim fieri prohibitum est. Panor. in c. i. de iudic. Felin. in c. causam quæ, de off. delegat. alioqui forenses, qui nullam in ciuitate neque sanguinis, neque amicitiæ necessitudinem habent, nunquam cogerentur extra domum litigare: quod absurdum esse palam constat. l. ult. cum ibi notat. C. ubi in re act. c. sane, de for. compet. cum si. & ratio nostra Baldi auctoritate cõprobatur in firmioribus consultorum terminis, in c. cum

in

in ueteri, uer. ibi, sociorum, de electio. Sed nõ ne Cardinalis potest dari iudex in causa alterius Cardinalis? c. quę relam, de electiõ. Spec. in §. superest, uers. item si est canonicus, de iud. delegat. tametsi & Cardinalis, & Episcopus suspecti, & ipsi haberi possint. c. causa quæ, de offic. delegat. c. ad petitionem, de accusa. Adeo enim collegii uiri suspitione carent, ut collegii causæ (& ita procedit argumentum) in aliquem, qui ex collegio sit, compromitti quandoque soleant. Spec. in d. uers. Sed nunquid Abbas. Non obstat c. cum R. loquens in delegato, qui facilius recusatur quàm ordinarius, & in eo cuius officium non erat proprie iudicare, ac ubi multi alii erant prouidi uiri (ut in textu dicitur) quibus causa committi poterat. Cetera contra opposita facile corruunt, si supradicta recte considerentur. Atque conclusio erit, causam committi posse; quam nihilominus declararem, nisi ex emergentibus, & circumstantiis aliud iudici uideretur iudicandum. Bald. in c. si pro debilitate, in fi. ubi etiam Barba. de off. delegat. ut de teste, inquit iuriscon. in l. iii. uers. tu magis, de testib.

Quid in causa forensis. Cap. XII.

FORENSIS ea in ciuitate litigans, ubi Consilii Sapientis lex uiget, præterquam quòd nullo sanguinis uinculo cum aliquo in ciuitate iungitur, ea ratione causæ cõmissioni contradicit, quia iurisdictio eorum, qui legem condidere, intra territorii limites terminatur. l. ult. cum Bart. C. ubi, & apud qu. Bald. in l. i. col. v. de hered. institu. quæ ratio satis infirma est ex probata nostrorum interpretum conclusione, quæ uult municipii legem incon cernentibus litis ordinationem, qualis est commissio causæ, forenses obstringere. in l. i. C. de summ. trin. & in l. cũ clericis, C. de Episco. & cleric. Præterea si forensis legi nostræ Patauinæ de compromissis subiicitur, ut ex multorum sententia notat Blanc. in suo tract. q. iii. num. xlv.
licet

licet lex ipsa partim ordinem, & partim decisionem respiciat in illis uerbis, De facto &c. Bald. cons. v. lib. II. Corne. consi. cxiiii. lib. II. quanto magis subiicietur legi de Consilio Sapientis, qua de iure tantum procedendo ordinatoria tantum disponuntur? quod eadem ratione in duobus forensibus inuicem litigantibus locum habebit, etiam si in eorum patria nulla lex cogat Consilium habere, ar. eorum quæ colligit Castrens. cons. cccxx. lib. I. Nec mittunt ex hoc ciues (ut dicitur) falcem in messem alienam: quia ciuium lex super fori sui usu, sicut quandoque super territorii sui rebus, & non alicuius persona facta est. Hostiens in c. postulasti, de for. comp. quod magni quidem refert. Bart. in l. ult. col. ii. c. de pact. & ut multis exemplis probauit Deci. in c. sanctæ Mariæ, de constitut. qui fori usus ex antedictorum scriptorum, ac ceterorum sententia est omnino seruandus. Decis. Neapol. lxxviii. Hipp. Mars. singul. cxviii. alioqui ita ordinum peruersio fieret, ut principia, ac regulæ omnes destruerentur: quod magnopere damnat Bald. in l. i. de iust. & iur. & quamuis ex eadem lege iudex cogeretur sequi Consilium, & ex regula, commissa causa, nil amplius iudex se impediat: Iaso. in l. ult. prope fin. de fer. non tamē lex respicit decisionem, quia non finit negotium, neque statuit, ut uno modo potius iudicetur quā alio. minus tollit remedium appellationis, quod hac in materia est maxime considerandum. Bart. in l. Titia, de accus. Aret. in c. quod clericus, de for. comp. Porro, si ex regula concessa esset in Sapientibus huiusmodi recusatio, idem dicēdum esset in omnibus iudicibus, in quibus eadem saltem uiget ratio. quod tamen reprobatissimum est. Panor. & Felin. in c. accedens, ii. ut lit. non contest. Qua ratione probare non possum quod dixit Anto. Franc. de doctorib. in additon. ad Panor. in c. intimasti, de appella. ut, si diuersi fori litigantes sint, utriusque etiam fori iudex eligat Sapientes, fundatum in doctrina Bartoli loquentis in terminis re, & ratione omnino diuersis in l. iurisperitos, §. i. de excusat. tut. Itaque non putet forensis ab eo recusari posse

se Sapientis Consilium, nisi iis tantum casibus, quibus & domesticis litigantibus recusatio permittitur.

Quid in causa clerici in foro sæculari, uel ecclesiastico. Cap. XIII.

CLERICI causa comprehendi non uidetur in ciuitatis lege de Consilio Sapientis, siquidem laicorum legibus clerici obstringi non possunt. c. quæ in ecclesiarum, & c. ecclesia sanctæ M. de constitu. & quamuis lex utile, bonumq. contineat, immo (quod magis est) si præcipuum fauorem ecclesiæ, ecclesiasticarumq. concernat, statuendi tamen auctoritas deficit. c. ult. de reb. eccle. non alienan. & c. bene quidem, xcvi. distinct. & adeo ut nec possit clericus sæculari foro se subiicere. c. placuit, xi. q. i. c. si diligenti, de foro compet. ideo nec ualeret lex, ut in causis ecclesiasticis stetur Consilio Sapientis. c. ii. ibiq. nota. de iudic. Catald. de syndicat. nu. clxii. Nos, ut clarior res sit, forum sæculare ab ecclesiastico distinguemus: ut si coram sæculari iudice agatur quæstio, sicut clericus agens cogitur sequi forum laici, l. ult. C. ubi in rem act. c. experientiæ, xi. q. i. ita fori lege obstringatur, quia id uinculum cum sortitione fori a pari procedit. glo. in l. ii. de eo quod cert. loc. nota. in c. quod clericis, de for. compet. Item si laicorum lege compellente partes ad compromittendum clerici obstringuntur, Ioann. And. in add. ad Specu. in §. i. uers. & nota. de constit. iuncto Corn. cons. cxiiii. lib. II. quæ (ut proximo cap. diximus) partim ordinem, & partim decisionem respicit, cur erit in tam fructuoso Consilio ordinem tantum respiciente diuersum? maxime quia, ut suo loco dicemus, non tollitur ex hoc appellatio, quæ non decisionis, sed ordinis manifestissimum indiciũ est. Archid. in c. non ita, ii. q. vi. Alex. in l. i. circa fi. de legat. ii. modo si canonicæ naturæ causa sit, iis committatur, qui canonum statuta non ignorent, c. i. de cons. & aff. Spec. de requis. cons. uers. scias. Non obest, iudicem multis in locis cogi sequi Consilium. quid refert enim, si Sapientes

pientes ex ciuium lege ob publicam utilitatem quasi per indirectum iudicibus æquentur? quos eadem integritas prudentiaq. coniungit; maxime cum & ex ipsorum Sapientum ordine quandoque iudices eligantur. Si uero in ecclesiastico foro causa pendeat, licet uideatur lege laicorum causam esse committendam ex not. a Bart. in l. cunctos populos, C. de summ. trin. in illis uerbis: Aut contra ea, quæ cuilibet competunt, & non ex priuilegio ecclesiæ, si honestatem contineant, iis ligantur clerici, in foroq. suo uti debent. c. cum uenissent, de eo qui mitti. in poss. c. constitutus, de in integr. restitut. Baldus tamen in d. l. cunctos, Butr. & Imo. in d. c. ecclesia S. Mariæ, contra Bart. aperte senserunt, ac firmissimis quidem (ut arbitror) rationibus: non enim mihi quis unquam persuaserit, ex lege laicorum clericos in foro ecclesiastico litigantes obstringi posse, ubi nullam habent laici, uel habere possunt iurisdictionem. ratio sane, qua ex lege in foro sæculari causa committitur, est, (ut diximus) quia id fori ordo efficit. igitur si in ecclesiastico foro litigetur, tãtum abest, ut ea ratio probet sententiam Bartoli, ut contrariam ipsius Baldi, & aliorum omnino suadeat. quod cõfirmari uidetur ex notatis ab ipso & a Bartolo in l. i. C. ubi in rem act. facit Decisio Tholos. in q. cliii. & consiliũ Socini lxxi. lib. IIII. uers. quarto. Ea autem, quæ includunt clericum, ex quo cum illo uinculo ingressus est, suũ clericatus ordinem, similia uti extranea non attingo, de quibus per Panor. & ceteros in c. ecclesia S. Mariæ. Nouisse hoc satis erit, ex laicorum lege in foro sæculari clerici causam committi.

Quid in causa Hebrei. Cap. XIIII.

HEBREO cum Christiano litigante, dubium uidetur an causa committi posit, ex his quæ contra Hebreum notantur a scriptoribus in materia iurium municipalium, dicentibus quidem iis, Hebreum esse alterius gregis, & de iis, qui foris sunt. c. gaudemus, de diuort. & c. multi, ii.

q. i.

q. i. ac ideo minime ſtatuto comprehendi. & quàm odioſa ſit eius conditio, ex eo ſatis conſtat, quòd licet æquitas præferri ſoleat rigori, l. placet, C. de iudic. contra tamen Hebreum æquitate omiſſa rigor ſeruatur. glo. pen. in c. ii. de Iudæ. conſequens ergo eſt, ut in generali beneficio Hebreus non includatur. l. ult. C. de Iudæ. l. Lucius, §. pen. de leg. ii. quod nil aliud innuere uidetur in materia noſtra, niſi cauſam committi nullo pacto poſſe; cum id licere nõ debeat actori. quod non licet reo, & uice uerſa. l. ult. cum ibi nota. C. de fruct. & lit. expenſ. Contrarium tamen eſt uerius: & hoc cum multis rationibus probare poſsim, hac una ero contentus: ubi ſeruatur ius ciuile Romanorum, Iudæi de populo Romano eſſe dicuntur, quoad hoc ut iis legibus uiuant. c. ius Quiritum, diſtinct. i. & §. i. in auct. de quæſtorib. iuncta l. Iudæi, cum ibi nota. C. de Iudæ. idem etiam eſt in municipali iure, quod omnium ciuitatum commune eſt. l. ult. ibiq. Caſtrenſ. C. de in integ. reſtitu. patet, Hebreos obſtringi ſtatutis dictantibus feminas non ſuccedere extantibus maſculis. Cano. in c. Iudæi, de Iudæ. ac eo plebiſcito plecti, quo adulter in libris ducentis punitur Sicul. conſ. lxiii. lib. IIII. Itaque in lege pariter de Conſilio Sapientis idem erit dicendum. in humanis enim actis Iudæi nobiſcum participes ſunt. Bald. in l. ſpadonem, §. iam autem, de excuſat. tutor. confirmatur concluſio ex c. poſtulaſti, & c. etſi Iudæos, de Iudæ. & licet res hæc minime dubia ſit, eam tamen uno demum inter alia quamplurima, quæ adduci poſſent, adiuuemus; laicos ſcilicet a clericis diuerſa profiteri, c. duo ſunt genera, xii. q. i. Veronenſium tamen appellatione, & clericos Veronæ degentes comprehendi c. dilecti, de for. compet. cum aliis. Obiecta non obſunt ex eo tantum, quòd populi appellatione Hebrei ipſi intelliguntur, qui inſtar ciuiũ Romanorũ filios habẽt in poteſtate. Bal. in l. nam & ciuiũ, de his qui ſunt ſui, uel alie. iur. gl. in c. Iudæorum, xxviii. q. i. Socin. conſ. lxii. col. iiii. lib. I. Quocirca Hebrei cauſa committi poterit, niſi Hebrei, ut apud nos, Principis

indulto, certos haberent iudices, ac præcipuo iure Sapientis Consilium peti non liceret.

Vbi posuit os iudex superior, inferior non se impediat, uulgare dictum, quo modo intelligatur quoad commissionem causæ. Cap. xv.

Fervet in quotidianis nostratium aduocatorum sermonibus uulgare dictum, ex Aluarota (ut aiunt) lege sumptum, Vbi posuit os iudex superior, inferior non se impediat: quod tametsi Romanorum iuri consentaneũ uideatur, in facto nihilominus Consilii Sapientis, plerũque inepte adducitur. Ratio huiusce Aluarotæ legis est, quia licet posset iudex eius, uel decessoris interlocutoriam reuocare, l. quod iusit, de re iudic. alterius tamen, ac præsertim superioris non potest. l. nam magistratus, de arbitr. l. ille a quo, §. tempestiuum, ab Trebell. unde illud, In tuis decessorumq. tuorum sententiis non te impedias, lectum ex l. i. C. senten. rescin. non poss. (quod in definitiuis locum habet, glo. ult. in l. quod iusit) superiorum sententias non complectitur, in quibus siue definitiue, siue interlocutorie procedatur, nemo unquam se intromittit. d. l. nam magistratus, & l. præcipimus, uers. sane, C. de appell. Et qui hac ratione putant, ut si super emergenti articulo superiores aditi fuerint, nõ liceat amplius in causa Sapientis Consilium peti, grauiter (ut opinor) errant: nam uerba adeo clara sunt, ut clariora esse non posint, siue dictionem, Vbi, siue dictionem, Tantũ, in lege repetitam perpendamus; cuius dictionis natura est affirmare in specie expressa, & in reliquis negare, maxime quando est repetita not. in c. cum ecclesia Sutrina, de caus. poss. & propr. & in l. gallus, §. et quid si tantum, de lib. & posth. cum nota. in l. Balista, ad Trebel. Etenim si superior super emergenti cognouit, inferior super illo quidem se ingerere non poterit: sed quid tunc impediet eum,

eum, qui totam cauſam iudicaturus eſt ſuper meritis Sapientis Conſilium habere? ar.d.l.præcipimus, in fi.& l.ſancimus, C.de teſtam. & hoc recte intuenti percipitur ex facto deciſo ab Aluarota lege ſancita ab Illuſtriſsimis Decẽuiris anno MCCCCXLIX. Cui cauſam dedit Aluarotus ille, qui conſuluerat, Prætorem non potuiſſe hominẽ quendam carceribus cohibere. Ceterum ſi pro huiuſce legis applicatione certa doctrina niti uolumus, obſeruandũ erit quod, ut olim celebris iuriſconſulti, Ioachini Belengerii, in quadam controuerſia accurate diſputantis, oratione ſum admonitus, Vlpianus, & Paulus tradiderunt in l.cum quæritur, cum duabus ll. ſeq. de excep. rei iud. an ſcilicet idem corpus ſit, eadem quantitas, idem ius, eadem cauſa petendi, & an eadem conditio perſonarum. niſi enim hæc omnia concurrant, alia res erit, nihilq. proderit probatũ uerbum.gl.& Bar.in d.ll. Propterea ſi ſuper emergenti tantũ ſuperiores aditi fuerint, nil profecto impediet, quin merita cauſæ, Sapientis adhibito Conſilio, expediri poſsint.

An cauſa clara committi poſſit. Cap. XVI.

ITA clarum eſt, in cauſa clara Conſilium non eſſe neceſſarium, ut, quid in hoc ambigere poſsis, niſi id ſit extra regulam, non facile comperias. Bart. in l. ille, aut ille, §. cum in uerbis, de lega. iii. ubi inquit Paulus, Cum in uerbis non eſt ambiguitas, non debet admitti uolũtatis quæſtio. diciq. ſolet omnem deliberationem de dubiis eſſe, & Conſilium latentibus rebus adhiberi, & aut omnino nondum repertis, aut dubiis, obſeruante F. Quint. lib. III. cap. viii. & lib. VI. cap. VI. Et quamuis huius ſententiæ ueritas ratione ipſa pateat, ea tamen clarius auctoritatibus probatur, & inter ceteras uide Bald. in l. i. C. de legib. Innoc. in c. i. de offic. Vica. Deci. in l. illam, C. de collat. & Cataldin. de ſyndic. nu. clix. ac uti probata Deciſio ſingulariter obſeruatur a Balbo deciſ. ccclxxxviii. Ratio euidens eſt, quia ex ſententia Ariſt. in proœ. metaph. Sapientis eſt difficilia, nõ facilia cognoſcere. Et quia

in iis, quæ plane firmis probantur coniecturis, ac inter dubia referri non possunt, Consilio non indigemus. c. cum in iure peritus, de offic. delega. c. cum in iure, ibiq. Panor. de electìon. plene confirmant obseruata ab Alex. in l. si sic stipulatus, de uerb. oblig. & Bald. in c. si pro debilitate, de offic. delega. quo fit ut crebriori obtentum fuerit sententia, municipale compromissum in re clara non concedi, Ias. in. l. i. de transact. Alex. cons. lxii. lib. 11. Hæc autem conclusio locum non habebit quando ex municipalis legis forma cogitur iudex habere Consilium, ut in Sing. Corset. incip. si iudex debet ferre, sub uer. sententia: quod non ita simpliciter probo; tum quia statutum communi iure interpretationem recipit l. i. §. lex falcidia, ad leg. falci. tum quia aduersaretur exemplo Baldi de municipii lege in d. l. i. C. de legib. id tamen uerum esse iudico, quando alia ex legis qualitate suaderetur, ut puta, si iudex cogeretur sequi Consilium. quandoquidem consilium proprie non dicitur quod sequi necessario debemus, ut dictum est supra lib. 1. loco suo, cap. xxiiii. tunc enim a Sapiente omnia pendent. Bart. in l. si conuenerit, de re iudi. & præcise Calcan. cons. lxxxii. & alia præsumitur legis ratio, quemadmodum est apud nos, qui plerunque commissionem petimus, non quo nobis iudex indigere Consilio uideatur, sed ne in appellatione externis in locis litigemus. pluribus enim suadentibus rationibus una etiam cessante, aliæ adhuc uigent. §. affinitatis, Instit. de nupt. cum si. Qua in re cum aliqui interdum iudices negligentiores fuerint, aut duriores, euenit, ut res clara, quam unius Consilio, domi, minima impensa, & breui tempore expediri noluerunt, apud maiores postea magistratus, extra domum maximis impensis, aut diuturniorem, aut, quod miserabilius est, nullum unquam finem habuerit. Verum si in prioribus terminis oriretur dubium, quæ causa censeatur clara, ambigua, uel obscura, uidendus erit Bald. in l. i. C. de relatio. et Dec. in d. l. illam, & legi etiam possunt ea, quæ dicit F. Quint. lib. VII. cap. x. Ac in summa uidendũ erit, an sit causa iuris, & an in Corpore

pore

pore ius ipſum repoſitum ſit, uel in uolumine ſtatutorum. Bart. in l. ornamentorum, de aur. & argent. leg. Corne. conſ. cix. in fin. lib. i. & an lex in Corpore, uel ſtatutis inſerta plana ſit, uel multifariam intelligatur. Bart. in l. iii. de reb. dub. Bald. in c. paſtoralis, de reſcrip. & an certum ſit quid communi obtineatur ſententia, in re quæ nõ ita perſpicue a lege deciſa eſt. Bart. in l. qui Romæ, §. duo fratres, in vi. oppoſi. de uerb. oblig. Socin. conſ. cxvi. uerſ. ſecunda, lib. i. Quibus omnibus, & iis, qui prædictis in locis allegantur addi poſſunt, ea, quæ in ſpecie Cõſilii Sapientis traduntur, exempla a Roma. in rub. de arbitr. col. ix. unde res ipſa circa ambiguitatem, uel certitudinem pleniſsime cognoſcetur.

Quid in cauſa interlocutoria. Cap. XVII.

CAVSA, quæ emergens a iuris interpretibus dicta eſt in l. i. C. de ordi. iud. adeo parui cenſetur momenti, ut inde prouenienſ ſẽtẽtia ab eodem iudice reuocari poſsit. l. quod iuſsit, de re iudica. & ex iis, quæ de leui, modicaq. cauſa ſupra cap. ix. dicta ſunt, non uidetur eius naturæ eſſe, ut committi poſsit: maxime quia iudicium diuideretur, ſi partim cum Conſilio, & partim ſine Conſilio iudicium fieret, contra rationem l. cum quæritur, de admini ſtr. tutor. & l. in cauſæ, de procurat. liteſq. e litibus orirentur; quod palam legibus eſt inuiſum. committi tamen poſſe cenſuit Spec. de requiſ. conſ. in illis uerbis, nota quòd non ſolum. cuius opinio ueriſsima eſt, & pro tali etiam conceditur a Iac. Gent. in docenda forma ferendæ ſententiæ, de ord. iud. num. xxxi. & Barth. Veron. caut. lxxvii. et arbitror hoc etiam optime probari ex c. ſuper his, & c. inquiſitionis, de accuſa. intelligo cauſam committi poſſe (& ex hoc tollitur prima obiectio) cum parte citata, & cauſa cognita, res agitur, ut puta an poſitiones ſint admittendæ, an cauſa compromittenda, uel quid aliud ſimile. Deciſ. Rotæ DCCXXII. in antiq. quo caſu re-

uocari

uocari non potest lata sententia iuxta nota. in d. l. quod iussit, & a Bart. in l. nec quicquam, §. ubi decretum, de off. procons. non parui quidem referre uidemus, an cum causæ cognitione, uel non, interlocutorie pronuntiatum fuerit. Decis. Rotæ xci. & ccxiiii. in antiq. interlocutoriam enim, quæ sine causæ cognitione fit, & reuocari potest, fateor committi non posse; atque in his terminis intelligendum esse Baldum in l. i. uers. ex hoc dicto, C. ne licea. tert. & Alex. in cons. l. col. i. lib. ii. nec ex eo, quòd interlocutoria cum Consilio, & merita sine Consilio expediri facile possent, commissio quo uis modo impedietur, si legantur ea, quæ supra cap. xv. declarauimus. cum semper, licet adhibito Consilio, iudex ipse pronuntiet, ut colligi facile potest ex iis, quæ inferius dicentur, & traditis supra cap. iiii. & v. & lib. I. cap. XVII. retorquetur sane quod de litibus suborituris dicebatur; siquidem maiori dispẽdio, sine Consilio lis ad finem deducitur; ut nos quotidie experimur, qui, cum municipalem prohibitoriã legem habeamus, annos interdum continuos extra domum, super articulo distorquemur. sed quis causam hanc negabit posse committi, si compromitti posse dubium non habemus? l. pen. secundum unum intellectum, iuncta glo. pen. C. de pact. & glo. ult. in l. cum proponas, C. de reb. cred. At non procedet pronuntiatum, quoties principalis causa committi non posset. iuris enim esse non negamus, incidentem difficultatem principalis quæstionis naturam assumere. clem. dispendiosam, ibique nota. de iudic. l. cum principalis, de reg. iur. Si uero municipii lex interlocutoriæ commissionem excluderet, eam non comprehendet, quæ uim definitiuæ habet. Bar. in l. consentaneum, C. quom. & quand. iud. nisi tamen lex meram diffinitiuam appellaret, secundum Roma. in rub. de re iudic. Vnde interlocutoria, quæ super inepta actione instituta mota est, secundum eosdem includetur in municipii lege, uel ea, quæ super recusatione iudicis agitur, idq́. genus alia. Archid. & Ioann. And. in c. iudex ab Apostolica, de offi. deleg. lib. VI. interlocutoria autem super deser

ta

ta appellatione interposita a definitiua committi poterit, quia definitiuæ uim habet Decis. Rotæ in nouis, ccccxxvii. nec illius interlocutoriæ commissio prohibebitur, quæ super peremptoria exceptione fertur Bald. in l. ult. C. de senten. ex pericu. recitan. cum si. cuius materiæ etiã satis utilis mentio fit in Decisio. Dalph. q. x. xi, & xvi. tametsi apud nos ea inualuerit consuetudo, quæ nullam, recusante parte, interlocutoriam committi sinit.

Quid in causa executionis. Cap. XVIII.

EXECVTIONIS causam breuem, ac summariam esse dubium non est. l. i. si quis iusd. non obtempe. l. litibus, C. de agrico. & cens. quod ex eo euidentius patet, quia est actus mere interlocutorius, Bar. in l. i. & ii. de cõfess. & in ea nullus citationis ordo seruatur. Bald. in l. i. col. iii. C. de iur. & fact. ignor. Innoc. in c. ex ratione, de appell. immo, Iudicii, uocabulum executionem non comprehendit. Geminia. in c. pia, §. sed si, de except. lib. VI. Propterea, quæ supra de breui, ac summaria causa cap. IX. & proximo, de interlocutoria exposita sunt, ostendere aperte uidentur Consilium frustra isto casu requiri. Lanf. in c. quoniam contra, sub uer. interlocutiones, col. xxiii. de proba. tametsi pro rei ueritate, sic ego distinguerem: aut de mera executione sententiæ agitur, ut puta, quia iussit Prætor pignora capi, fundi ue possessionem apprehendi, & non iudico commissioni esse locum, ar. l. qui restituere, de rei uend. & quasi cauillo Consilium petentem esse summouendum. l. iiii. §. ait Prætor, de re iudic. l. si quis missus, in princ. & in fin. ne uis fiat ei. huiusce modi enim actus sunt facti, atque inter eos connumerantur, qui proprie interlocutorii sunt, & qui ab eodem iudice reuocari solent. glo. & Bart. in l. quod iussit, de re iudic. nota. in l. ab executione, C. quor. appell. atque secundum illius loci statuta, & consuetudines expediuntur, ubi executio petitur. Bald. in l. i. C. ne fil. pro patr. Roma.

cons.

conf. ccxliii. Aut pro executione sententiæ cognitio est necessaria, utputa si in sententia diceretur, Claudius fundum restituat detractis detrahendis, uel aliter iudicis pronuntiationem expectemus; tunc nulla ratio postulat, ut Sapientis Consilium denegetur; quia & citatio, & cognitio in huiusmodi expeditione requiruntur, ut satis aperte notatur in d. l. ab executione, in l. quod iussit, & in l. a Diuo Pio, de re iud. ac sententia inde oritura definitiua censetur. Butrig. in d. l. ab executione. Quia uero non summaria causa incidens executioni, quæ summaria est, summarie terminari solet, d. l. a Diuo Pio, §. si super rebus, iudex in committendo secundum earum rerum, quæ summarie aguntur, terminos diiudicabit.

Quid in causa, ex qua prouenit dispositiua, aut declaratiua, aut adiudicatiua sententia. Cap. xix.

QVIA Baldus inter cetera sententiarum genera commemorat dispositiuam, declaratiuam, & adiudicatiuam in l. ingenuum, de stat. homin. hic etiam uideri poterit an causæ, ex quibus iam dictæ proueniunt sententiæ, committi possint. Et primam existimo committi posse, quæ licet aliud disponat, ex ea tamen aliquid definitur. exempli gratia, an aliquis sit heres. l. statu liberi a ceteris, §. Quintus, de statu lib. an aliquis sit ciuis, ingenuus, uel clericus, l. de iure, ad municip. c. si iudex laicus, de senten. excommun. lib. vi. atque ea quæ inde oritur sententia, uti definitiua obseruatur a Baldo ipso. quinimmo si huiusmodi quæstionis uis, & natura perpendatur, totius negotii fundamentum est l. si putas, cum glo. C. de peti. hered. c. causamque, ii. qui fil. sint legit. quod scilicet intelligo, quando citata parte, ac lite contestata talis quæstio terminatur, iuxta regulas supra cap. ix. et nunc proxime traditas. Quoad declaratiuam distinguerem; aut declaratiua est, quia declaratio fit, an seruitus debeatur, uel an aliquis sit dominus. l. sicuti, §. sed si quæratur, si serui.

uend.

uend. l. et ex diuerso, §. i. de rei uendic. aliud ue simile declaratur, l. Sed & si possessori, de iure iur. & huiuscemodi quæstione orta utile ent Sapientis Consilium. Aut declaratiua est, quia petitur obscuram sententiam declarari ar. l. hæredes, uers. sed si notam, de testam. ut puta, de qua pecunia, uel de quo Titio iudex in condemnatione intellexerit, l. nummis, de leg. iii. Bart. in l. ab executore, de appell. & reor tunc causam non debere committi, cum nemo magis uim sententiæ scire possit, quàm is, qui eam composuit, uti rei propriæ testimonium, in quē cadere non solet ignorantia. c. cum illorum, in princ. de senten. excom. Butr. in c. ab excommunicato, de rescript. uerum si ob compositoris mortem, uel absentiam ab eo interpretatio haberi non posset, Sapientis solertia non erit aspernanda; sicut nec successoris iudicium negligitur pro decessoris sententia interpretanda. Bar. Ang. & Imo. in d. l. ab executore. Quoad tertiam, quæ adiudicatiua dicitur, regula erit, ut Sapientis Consilium non admittatur. proprie enim sententia appellari non potest, sed est secundum decretum, per quod aliquid adiudicatur alicui. Bald. in d. l. ingenuum. Feli. in c. consultationibus, de off. deleg. ac potius est præcedentis sententiæ executio, quàm sententia, cum non amplius detur contradictioni, uel cognitioni locus. Bald. in l. ordo, C. de execut. rei iud. nota. in l. cum proponas, C. de bon. auct. iud. poss. præcipua tamen ratione in duobus illis adiudicatiuis iudiciis, familiæ herciscundæ, & communi diuidūdo, in quibus (ut inquit Bald. in l. ingenuum) definitiue sententia fertur, Consilium Sapientis non denegabitur; quando scilicet singulas res singulis heredibus iudex adiudicare intendit, uel quando communis res commodam non reciperet diuisionem. §. si familiæ, & §. eadem, Instit. de offic. iudic. quibus addamus finium regundorum iudicium, cum inspicitur pariter, an adiudicatio sit necessaria, & an euidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quàm olim distincti fuissent. §. si finium, eod.

titu. Sed ne in hoc capite prolixiores simus, quàm res ipsa postulet, reliqua in sequenti consideremus.

Quid si resolutiua, rescissoria, uel priuatiua proueniat, & in præcepto, & mulcta. Cap. xx.

COMMEMORAVIT Baldus & alia quoque sententiarum genera, resolutiuam scilicet, rescissoriam, & priuatiuam in l. ingenuum, de stat. homin. causas autem, ex quibus huiusmodi emanant sententiæ, sine controuersia committi posse dicemus. nam si resolutiua sententia illa est, quæ iam factum rescindit, utilissimum etiam erit Sapientis Consilium. exempli gratia, quando ordinaria, uel ex pacto indebiti conditione, alio ue extraordinario remedio introducente indebite solutum petitur, uel quid aliud simile. l. ii. cum ibi nota. de cond. indeb. auct. si omnes, ibiq. nota. C. si min. ab heredi. Item si in testamenti rescisione, sententia rescissoria multum nocere, & multum prodesse potest, quæ erit ratio, qua Sapientis Consilium denegari posit? l. posthumus, §. pe. & l. Titia, de inoff. testam. Nec aliud credendum est in priuatiua, quæ ad status, famæq. priuationem tendit. l. cognitionem, & ibi nota. de uar. & extra cognit. At de præcepto, & mulcta quid erit dicendum? et ipsa quidem inter sentētiarum genera ponuntur a Spec. in §. ii. de sentent. Præceptum est (inquit Spec.) cum quis a reo in iudicio absque libello cū instrumento debiti petit decem, ac reus fatetur debitum, tunc iudex reo præcipiet, ut definito termino soluat. & hoc præceptum sententiæ uim habet. Bald. in l. error, uer. ex hoc, C. de iur. & fact. ignor. glo. in l. sancimus, C. de administr. tutor. ex qua descriptione cum pateat præceptum esse actum summarium, executiuum, & quod sine solemnitate fit. Decis. Rotæ CCCLXVIII. in antiquis, consequens erit ut pro eo Sapientis Consilium cesset, suadentibus iis rationibus, quas supra cap. ix. & xviii. in seruimus.

mus. uerum ſi actione in ſcriptis propoſita confeſsio emanaret, ſecus erit: quia tunc ſententia definitiua, non præceptum ferretur. glo. in c. nos, ii. q. i. Ang. in l. ſi debitori, de iudic. iis ſemper exceptis, quæ de cauſa clara diximus ſupra cap. xvi. Mulcta autem non poterit ex Sapientis Conſilio ferri, quia per euidentem (ut notat idē Spec.) rei contumaciam interponitur, & in mero iudicis arbitrio poſita eſt, ut dictat iuris diſpoſitio ſub Cod. titu. de mod. mulct. & in l. i. ſi quis iudic. non obtemp. Itaque ſicut tribus proximis generibus Sapientis Conſilium admittitur, ita e contrario his duobus nulla ratione concedetur.

Quid in cauſa mixti imperij. Cap. XXI.

QVAM differat arbitrium a Conſilio, licet iam ex multis patuerit, ex hoc tamen capite magis conſtabit: ſiquidem cauſa mixti imperii compromitti non poteſt, l. ult. C. ubi, & apu. quæ. c. pen. de reſtitu. in integr. & ideo in municipii lege de compromiſſo non comprehenditur. Bar. in l. non diſtinguemus, §. de liberali, de arbitr. Roma. conſ. cclxii. in conſilio autē Sapientis contrarium reperitur conceſſum a Butrig. in d. l. ult. cum querit, ſi iudex committat cognitionem conſilio Sapientis, an aliquis ſit reſtituendus, & Sapiens conſulat eſſe reſtituendum, iudexq́. dicat, Ita pronuntio, an uideatur reſtitutus, & in l. cum iudex, C. de ſent. & inter. omn. iud. quintus, immo aperte deciſum uidetur a Bart. & Bald. in l. uerum. §. ex facto, de minorib. inferentibus de Principe ad Sapientem, in quibus, quoad hanc conſilii uim, eadem uiget ratio. id propterea confirmatur ex l. Diuus, de in integr. reſtitu. & in l. & ſi ſine, §. reſtitutus, de minor. atque ad rem pertinent ea, quæ confeſtim in criminali cauſa declarabuntur: quod nulla ſane ratio prohibet, immo qualibet in re poſſe Sapientem conſulere, naturalis ratio ſuadet. argumentum & in deciſionibus cauſarum iure admiſſum. l.

ſcire oportet, §. ſufficit, de excuſat. tut. Corne. conſ. cx. in fin. lib. 1. Sic autem procedat concluſio, ut, lite non cõteſtata ſuper implorato officio iudicis, ex ſe iudex conſilium habeat, conteſtata uero cauſam committat, datis habilibus terminis cauſæ mixti imperii, ut per Bal. in aut. ſi omnes, in q. iiii. C. ſi min. ſe ab hered. & in Deciſ. Rotæ ix. in nou. nec in Sapiente aliqua eſt facienda diſtinctio inter reſtitutionem, & actum. an ſit facienda reſtitutio, ut in arbitro: quia Sapiens nil unquam agit, niſi quod conſulit, quod rectum putat. Fulgoſ. conſ. cxlv. uerſ. nec per hoc. arbiter autem qui terminando pronuntiat nec reſtituere, nec declarare aliquem eſſe reſtituendum poteſt. Bald. & Ang. in d. l. ult. C. ubi & apud quē. non reſtituit, quoniam nullum habet imperium, nullumq́. tribunal, ut in mixti imperii cauſa omnino requiritur. l. quod ſi minor, in fi. de minor. Bald. & Caſtrenſ. in d. l. ult. non poteſt declarare eſſe reſtituendum, quia (ut dicunt interpretes) indecorum eſſet, ut ordinarius nobili eius officio ſequeretur quod ab arbitro factum fuit; contra omnem iuris rationem, quæ uult, ut magis dignum trahat ad ſe minus dignum. l. præcipimus, §. eodem, C. de appellat. c. quod in dubiis, de conſecr. eccleſ. uel altar. Sapienti uero in dando conſilio, nec imperio, nec tribunali opus eſt, ſed is, qui iuriſdictioni præeſt, habito conſilio, reſtituit. Cuman. in d. conſ. & Calcan. conſ. lxxxii. nume. vi. cum ſi. quæ iudicem monent, ut quandoque in cauſa mixti imperii Sapientem conſulat, & quandoque Sapientis Conſilio cauſam committat.

Quid in cauſa crimnali. Cap. XXII.

CRIMINALIS cauſa plerunque Conſilio Sapientis non committitur, quia Prætor cum curia a Principe ordinata criminoſos punit. a cuius ſententiis non appellatur, inſtar ſententiarum Præfectorum Prætorio, & Senatus Dalphinalis. l. i. C. de ſenten. præfect. Prætor. Guid. Papæ in Deciſ. viiii. DLIIII. quare autem ex regula de ea Conſilium

lium haberi nequeat, non uideo, immo expresse censuit Angelus consilium haberi posse in l. super delictis, C. de relat. nusquam enim prohibitum est in criminali causa habere Cōsilium; quod de genere permissorum intelligitur. l. i. cum ibi nota. C. de relat. iuncta l. ab ea, de probat. immo ratio suadet, ut tunc magis consilii perfugio utamur, cum maius instat periculum. c. de quibus, xx. dist. c. prudentiam, de off. delegat. at quando maius instat, quàm cum agitur de uita hominis? & quis potest rectum discernere a prauo, nisi Sapiens? Spec. in §. consequenter, prope fin. de aduoca. Patet, quòd tunc requiruntur probationes luce meridiana clariores. l. absentem, de pen. l. sciant, C. de probat. Nec oberit alia nostrorum interpretum conclusio in l. non distinguemus, §. Iulianus, de arbitr. causam scilicet criminalem compromitti non posse; cum satis supra prox. cap. demonstratum sit, diuersam in Sapiente uigere rationem. idq́. probat ratio a scriptoribus reddita in eo §. Iulianus; ne pœna corporalis uertatur in pecuniariam; quod in Consilio non eueniret, cum tam capite, quàm ære aliquem mulctandum Sapiens consulere possit, ut in tot antiquorum iurisconsultorum responsis, & in consiliis criminalibus Hippolyti Mars. Bartholamæi Veron. ac aliorum uidere est. ex quibus constat sæpe, & magistratus, & Principes ipsos iuris prudentes cō suluisse. Sapiens quidem tantum consulit, arbiter uero definit. & consilium qualibet in re non facile aspernamur, decisio autem fieri non potest, nisi intra terminos iurisditionis, uel arbitrādi potestatis. l. i. l. imperiū, ibiq́. nota. de iuris. om. iud. l. i. & l. dicere, §. i. & l. quid tamē. cū si. de arbit. Nec communi iure ad Consilium omnino cogimur, ut dicebatur supra lib. I. cap. xxiiii. dixi, Iure communi, quia apud nos iudex cogitur sequi Consilium, & causa criminalis non committitur; tum quia Prætori cum Curia specialiter negotiorum criminalium expeditio a Senatu demandata est: tum quia hoc dictat collocatio statuti nostri sub tit. de causis ciuilibus, ut in simili arguebat Alex. in l. si mora, nu. xiii. solut. matr. facitq́. Bar. in l. i. de publi.

bli. iudic. Quo circa criminalis causa sui natura committi potest, licet quandoque & statuta, & consuetudines aliò nos deducant.

An causa amplius committi possit, non consulente eo, cui commissa erat. Cap. XXIIII.

CONTINGERE potest, ut in iudicio quæratur, an amplius causa committi possit, non consulente eo, cui iam commissa erat. & committi posse uidetur multis ex argumentis, quæ sumuntur ex l. in coniunctione C. de nupt. ex nota. a Bar. in l. i. in fine, C. de impon. lucr. descript. lib. x. & a Bald. in l. si quis, §. hæc uox, de eden. Ego hac in re sic distinguendum esse puto. Aut generalis extat lex de causis committendis, & tunc electo omittente dare consilium, reor alteri causam committi debere, cum toties iterandum sit quod mandatur a lege, donec suum sortiatur effectum; not. in d. §. hæc uox, Cuman. cons. xiiii. Roma. cons. DIIII. cum si. præsertim quando lex fauorabilis est, ut nostra de Cõsilio Sapientis. Dec. cons. D XII. & cons. DCIX. Exẽplum datur in municipii lege de compromisso faciendo inter coniunctos, quod toties fieri debet, donec causa terminetur, ut per omnes in d. §. hæc uox. & per Alexan. cons. LXX. col. i. lib. ii. maxime si pœna sapienti fuit imposita (ut apud nos) priuationis officii, ac restitutionis honorarii. Alex. cons. XXIIII. lib. VI. tunc enim ciuium mens coniicitur, ut duntaxat puniatur negligens consultor, alterius autem consilium non excludatur. c. cum ex iniuncto, in fi. & c. sequenti, in fi. de hæret. & c. si quis Abbas, XVIII. q. ii. Aut partes ipsæ, nulla præsumpta legis dispositione, Sapientem elegerunt. tunc, cessante persona, cuius industria electa est, nunquam putarem altero recusante, causam esse committendam. l. inter artifices, de solut. l. i. de offic. eiu. cum hominis dispositio unico actu comprobetur. l. boues, §. hoc sermone, de uerb. signi. Bald. in l. i. uers. quæro, C. de his quæ pœn. nom. & omnes in d. §.

hæc

hæc uox. & quamuis primo caſu iudex cauſam committat, ex quo uidetur actus hominis, non eſt tamen actus hominis, qui neceſsitate legis ſic mandantis factus eſt: quod illud idem efficit, ac ſi legis eſſet. Deci. conſ. xxii. col.i.& ii. Secundum igitur huius diſtinctionis caſus, cauſa & committi,& non committi poterit.

Aſſumpto iudicio pro alio, an ſtatus cauſæ mutetur, quoad commiſſionem. Cap. XXIIII.

SVSCEPTO iudicio pro reo, dubitatur quandoque, an ſtatus cauſæ mutetur, quoad commisſionem. mutari autem propter diuerſam conditionem exploratisſimum eſt, quoniam qui in ſe emolumentum, uel damnum aſſumit, propriam dicitur defendere, ac tueri cauſam.l.i.§. in propria, quan. appell. ſit.l.qui ſtipendia, C. de procur. cui conſequens erit, ut ſi actor noui litigantis potentiam perhorreſcat, commisſionem cauſæ abnuere iure posſit ex l.unica, C.quand. Imper.loco ſuo declarata, ſupra cap. vi. quòd ſi uicisſim egenus miſerabilis ue ſit aſſumēs, & actoris potentiam reformidet, idem iuris erit ex l. ult. C. de fruct. & lit. expenſ. & l. non debet, ii. de reg. iur. generalis quidem ac probata regula eſt ex uicisſitudine perſonarum, rei conditionem mutari l. fiſcus, de iur. fiſc. Guid. Papæ in Deciſ. q. ccclxxxii. ideo ſi res publica priuati efficiatur, & uſucapi poteſt. Bart. in l. & Paulus reſpondit, de acquir.hered.& ſi pro fideiuſſore principalis debitor iudicium in ſe aſſumat, fideiuſſor omni priuilegio competente principali gaudet. l. idemq́. §. generaliter, cum Sicu. in addit. & l. ſi fideiuſſor, mandat. quod patet ex inſigni illa cautela, ut donator ſuſcipiat iudicium in ſe pro fideiuſſore ad effectum ut fideiuſſor ad id tantum teneatur, quod præſtare poteſt. Bart. in l. et ſi fideiuſſor, de re iudica. Alex. in l. non tantum, §. quod autem, eod. titu. maxime quòd ſuſcepto iudicio diuerſa expectatur ſententia, quæ præcipue ſuſceptoris perſonam reſpiciat. Bart.&

Bald.

Bald. in l. ii. C. ubi in re act. Deci. conſ. lxii. num. iii. Præterea tollit omne dubium, quod de compromiſſo faciendo ex forma legis municipalis inter actorem & aſſumptorem iudicii tradit Bart. erudite,& copioſe in q. ſua incipien. Piſanæ ciuitatis, & Areti. in §. ii. Inſtitu. de fideiuſſ. Sed aliquis ſic forte obiiciet, in cuiuſque ergo arbitrio erit, iudicium in ſe aſſumere, ut cauſæ conditio mutetur? Reſponde, non eſſe. nam quod dicimus, non in uana doloſa ue,ſed in neceſſaria aſſumptione intelligitur, ueluti ſi uenditor pro emptore reo conuento iudicium in ſe ſuſcipiat; ut in exemplo compromiſsi neceſſarii inter coniunctos, ac ſuperinde firmata concluſione a Bart. in eius q. ii. & Caſtrenſ. in l. i. C. ubi in rem act. His accedet quod de clerico dicitur, qui poteſt pro reo coram iudice laico comparere ad iudicium declinandum allegando exceptionem fori. Archid. in c. clericum, xi. q. i. Ex neceſſaria itaque aſſumptione,quam natnra cauſæ affert,totius negotii ſtatum quoad cõmiſsionem mutari perſpicuũ eſt.

Publicatis teſtibus, an cauſa committi poſſit. Cap. xxv.

De tempore Conſilii petendi ſolet ſæpe quæri, ac ex eo coram iudice allegari,cauſam amplius committi non poſſe. qua ratione adductus ſum, ut tempora cauſis adiungerem. Et primo,quando teſtium depoſitiones publicatæ ſunt, utpote claro effecto negotio, non uidetur huiuſmodi commiſsionem eſſe admittẽdam, ex regula firmata ſupra, cap. xvi. facitq́. Roma. in l. Prætor ait, §. hoc interdictum, de nou. oper. nunc. ſicut neque compenſatio eo tempore peti licet. l. ult. C. de compen. neque compromiſſum uigore legis municipalis. Bald. in l. i. de tranſact. Alex. in l. ſi cauſa cognita, C. eod. ſed falſum eſſe huiuſmodi de re clara argumentum, cum ex multis probari poſsit, nunc ſatis erit dicere, poſt publicatas atteſtationes, poſſe publica documenta, & reprobatorios teſtes produci, qui non ſolum atteſtationes debiles reddant,

ſed

ſed indirecte contrarium deponant. glo. in c. fraternitatis, & c. ex tenore, ibi glo. de teſtib. & c. cum dilectus, de fid. inſtrum. quinimmo non reprobatorii tantum, ſed etiã interdum quicunque teſtes poſſunt examinari, Inno. in c. auditis, de in integ. reſtit. Deciſ. Rotæ xliii. & cxxxix. in antiq. quibus ex locis argumenti falſitas non obſcure patet; & confirmatur etiam ex glo. in uer. liquere, & Innoc. in c. ſignificauerunt, de teſtib. Aliis ſane rationibus compenſatio, & compromiſſum peti non poſſunt. Prohibita eſt compenſationis petitio in odium illius, qui uoluit probationis onere actorem grauare, & non a principio compenſationem petere, ar. l. cum de indebito, in princ. de probat. & l. inde Neratius, §. hæc actio, ad leg. Aquil. prohibitum eſt compromiſſum, non quòd res clara ſit, ſed quia iniquiſsimum eſt, poſt tot labores, ac uaria certamina, cum expectatur ſententia, denuo cauſam ad arbitros deduci, ut nouus conſtruatur proceſſus. Caſtrenſ. in d. l. ult. C. de compenſa. quam quidem rationem nouiſsime refert, & probat Blanc. de compromiſſ. q. v. num. iii. Et cum in Sapientis Conſilio ceſſet; propterea quòd nec nouus conſtruitur proceſſus, nec nouæ dantur dilationes, Spec. de requiſ. conſ. in princ. & infra ſequenti lib. declarabitur, concludendum omnino erit, poſt teſtium publicationem Sapientis Conſilium peti poſſe.

Quid, cum concluſum in cauſa. Cap. XXVI.

POST concluſionem in cauſa putauit Spec. non ſolũ Sapientis Conſilium peti poſſe, ſed tunc proprie peti ex collocatione tituli de requiſ. conſ. poſt titu. de renuntiat. & concluſ. & ex continuatione eiuſdem tituli in princ. in illis uerbis, Concluſo legitime negotio iudex & deliberare, & conſulere debet, qualiter pronuntiandum ſit. &c. contrarium cenſuit Bald. in c. paſtoralis, de cauſ. poſſ. & propriet. quem ſecutus eſt Iaſon in l. i. de tranſact. allegans, licet inaniter Butrium in c. cum in ueteri, de elect.

& Alex. in conf. lxii. lib. ii. Id etiam expresse annotauit Hipp. Mars. in sua pract. caus. crimi. in §. sequens, num. xxviii. atque usus ciuitatis nostræ approbauit. Hac in re me diu cogitantem tenuit modo ratio, modo auctoritas ipsa, & nullam tandem inueni rationem, quicquid dixerint tanti uiri, quare Consilium peti non possit: immo cũ remissio ad Principem non fiat, nisi post conclusionem in causa, l. i. C. de relat. Bald. in l. ne causas, C. de appellat. & nullam habeat Sapiens iurisdictionem, ut dictum est supra lib. i. cap. xvii. censeo coram iudice causam in facto prius instruendam esse, & omnibus, quæ ad factum spectant, finem esse imponendum: quod fieri dubium non est ex conclusione in causa, c. cum dilectus, de fid. instrum. et glo. in c. significauerunt, de testib. quandoquidem iis, quæ ad ius pertinent, conclusio minime finem imponit. Butr. in c. licet causam, col. iii. de probat. & Alex. conf. ci. lib. ii. et quoniam commissio ipsa post conclusionem iure fit, ideo dici etiam solet, post causam commissam ex regula nil produci, probari ue posse. Bart. in l. ex illo, C. de appell. & Bald. conf. cccix. lib. ii. quòd si spectetur præcipua legis de Consilio Sapiẽtis ratio, supra lib. i. cap. iiii. memorata, & hoc tempore maxime uigens, quid impediet Sapientis Consilii petitionem? Tria, quæ contra hanc sententiam adduci uidentur, argumenta, sic resolui possunt. Primum erit, post conclusum in causa nil amplius fieri, peti ue posse, Innoc. in d. c. pastoralis; cui respondebitur, procedere in iis, quæ de natura litis sunt, non in extraneo negotio. Bald. in conf. cclv. lib. iiii. & præsertim in Consilio, quod tradi nullo modo potest, nisi causa in facto plene instructa. Secundum erit, hoc tẽpore claram esse causam. Bart. in l. si mater, §. eadem, in fi. de except. rei iud. Ias. in d. l. i. quo casu, ex traditis supra cap. xvi. commissionis petitio prohibita est, sed non est uera hæc ratio quia non omnes causæ claræ sunt, saltẽ quoad iuris dispositionem, ad uaria hominum iudicia applicatam. l. gallus, §. ille casus indifficilis, de lib. & posth. cum si. immo si ante conclusionem causa fuisset commis-

sa


sa, produci facile posset aliquod publicum documentũ, quod causam ita claram redderet, ut post conclusionem non fuisset commissa. Bart. in extr. ad reprimendum, in uer. & figura iudicii. Decis. Rotæ v. in nou. Tertium erit de municipali compromisso, quod post conclusionem in causa fieri non potest. Felin. in c. cum dilectus in princ. de fid. instr. Blanc. de compromiss. q. v. nu. iiii, & nil quidem obest: quia cum (ut proximo superiori cap. diximus) nouus coram arbitris construatur processus, tunc calumniose petitur; & cum in compromisso municipali summarie, & de plano procedatur, a Sapientis Consilio admodũ differt, in quo omnis iuris ordo seruatur. Nec me mouẽt nudæ Baldi, Iasonis, & Hippolyti auctoritates, siquidem nec communem sequi legimur opinionem, quæ nec lege, nec ratione probatur. Panor. in c. i. de constitu. Guid. Papæ in Decis. q. ccclxxxviii. & minus consuetudinem, quæ sine ratione introducta corruptelæ, & abusus nomen assumit, l. ii. C. quæ sint long. cons. & c. ult. de consuetud. Apud nos aperta lex est Sapientis Consilium admittens, cum ait. Non audiantur partes, nisi ad allegationes iuris, & assumptionem Sapientis. Nec procedit quod quandoque in aduocatorum ore est, assumptionem esse simplicem electionem. est enim contra apertam ciuium mẽtem interpretatio, & contra ueram uocabuli proprietatem, quæ totius rei negotium complectitur ar. l. assumptio, ad municip. et l. quisquis censibus, C. de Episco. & cleric. Et sicut prædicti scriptores obiter de Consilio Sapientis loquentes imprudenter lapsi sunt, ita error ex errore fluxit, ut usus errorem probauerit, &, quod magis est, municipalem legem falsa fuerit interpretatio consecuta.

Quid factis allegationibus, uel post monitionem proferenda sententia. Cap. XXVII.

Factis allegationibus uidetur rem dubiam effici, & committi posse Consilio Sapientis, & inter multa quæ

possent tradi, exemplum erit; Si quæstio esset, cuius sit partus, quando, mortuo primo marito, statim mulier secundo nubat, & nono mense pariat, iudex qui uidebit in domo secundi natum esse, eidemq. assimilari, secundi filium facile diiudicabit. Bart. in l. gallus, in princ. de liber. & posth. Sed si Diui Hieronymi locus adduceretur, ibi a Ias. relatus post D. August. & Fab. Quintil. ubi Hippocratem commemorat, qui adulterii damnatam mulierem liberauit, quæ ob similem picturam in cubiculo repertam, partum patri dissimilem pepererat, quæstio dubia efficietur; item obscurior fiet, si iudici demonstrabitur quosdam existimasse, matri credi, alios consuetudinem mulieris spectari, Rofredumq. respondisse signa conceptionis inspicienda, ac a peritis non esse recedendum, ut narrat Bart. in d. l. gallus. sed falsa est ista ratio, adeo enim coram iudice rem discussam fuisse præsumimus, ut uera interpretum sententia dignoscatur, a qua nefas esse uidetur, ex regula recedere. Bart. & Bald. in l. ult. C. de pœn. iudic. qui male iudica. Panor. in c. de Constit. cum si. & dubium non est, allegationes rem clariorem efficere, quàm antea esset: cum inter cetera, & iuris propositiones, & restrictiones pateant a scriptoribus approbatæ. Exempli gratia, si allegaretur contra præsumptionem iuris, & de iure non admitti probationem in contrarium, l. antiquæ, C. ad Velleian. ac responderetur id non habere locum, si illius confessio haberetur, pro quo præsumptio uiget; uel quando contra præsumptionem res palam omnibus constaret. glo. in l. in contractibus, in uers. nullo modo, C. de non nume. pecu. Rom. cons. CCCL. et si de minimis Prætorem non curare proponeretur. l. scio, de in integ. restit. ac responderetur id ita accipi, quando contra ius commune aliquid permittitur, secus (ut ibi inquit Bart.) si communi iure aliquid agatur. sed quicquid sit, ex allegationibus coram iudice factis, quæ alias coram Sapiente factæ fuissent, uidetur Consilii beneficio renuntiatum, ar. c. gratum, de off. delegat. & glo. in c. si a iudice, de appellat. lib. vi. ac nil magis calumniosum

est



eſt, quàm Conſilium Sapientis petere, tempore, quo nil præter ſententiam expectatur. quo modo igitur erit permittendum? Alex. in l. ſi ſic ſtipulatus, de uerb. oblig. Ang. late conſ. cxxxvi. prima ratio complectitur etiam tempus, quo traditæ tantum fuerint ſcripturæ iudici; ſecunda ratio amplectitur etiam tempus, quo facta fuit citatio ad audiendum ſententiam. & quia his caſibus commiſsio fruſtra, & calumnioſe petitur, minimeconcedenda eſt. ar nota. in l. quidam extimauerunt, ſi cert. peta. glo. in l. qui cum maior, in §. ſi libertus, de bon. libert. quibus adde luculentam Alex. additionem ad Bart. in l. ille aut ille, §. cum in uerbis, de leg. iii. ne malitiis hominum uia aperiatur, Ang. in l. i. de tranſact. Caſtrenſ. conſ. xiii. in fi. lib. ii. eiq. imputabitur qui Conſilium congruo tempore petere potuit, & non petiit, ar. l. ſed et ſi ſuſceperit, in princ. de iudic. et l. argentatius, §. cum autem, ibi, de ſe ipſo, de eden. At non prohibebitur ex ſe iudex quem uoluerit & quolibet tempore conſulere, & litigatoribus conſentientibus cauſam committere, ſicut & in firmioribus terminis pro compromiſſo legimus apud Baldum & Alex. in l. ſi aduerſa pars, C. de tranſact.

Quid in cauſa appellationis. Cap. xxviii.

Si, factis allegationibus, uel monitione ad audiendũ ſententiam, Sapientis Conſilium petere nequimus, minus peti poſſe uidetur poſt latam ſententiam, ar. glo. in l. acta, in princ. de re iudic. Bald. in l. ſi diuerſa pars, C. de tranſact. et licet appellatio rei iudicatæ uim extinguat, uel ſaltem pronuntiati præſumptionem tollat, Bald. in repetit. l. tale pactum, §. qui prouocauit, de pact. Panor. in rub. de appell. dici tamen poteſt, litis ſtatum in terminis ſaltẽ allegationum, uel monitionis ad audiendum ſententiam reperiri, ac iudicem appellationis ea facere debere, quæ a primo facta ſunt. c. interpoſita, de appell. Deciſ. Rotæ, ccccl xvii. in no. quid erit igitur dicendum? ſi maxime uigeat

geat

geat lex in ciuitate ut iudex cogatur habere, & sequi Consilium? Consilio fauet statuti ratio, qualibet in re præcipue spectanda. l. cum pater, §. dulcissimis, de leg. ii. quæ (ut declaratum est supra cap. XVI.) sumitur ex uerbis habendi, ac sequendi Consilii, & plerunque (ut apud nos) litem terminandi intra domesticos parietes, nec commissioni repugnat proprietas uocabuli, Causa, quod in lege positum, & appellationis controuersiam continet. l. ita demum, C. de procur. & rub. C. ne lice. in una ead. caus. & pars quæ de primarii iudicis doctrina confidebat, non item de iudice appellationis confidit, ac iccirco nouum auxilium non denegari, & maxime quidem necessarium. l. i. de uentr. inspic. iuncta l. iubemus, in ar. C. de appellat. Accedit diuersam esse causam appellationis a principali ut nota. in c. non iniuste, de procurat. in qua omnia deduci, & probari possunt, & noua etiam causa allegari. l. per hanc, C. de tempor. appell. & Card. in clem. i. nota. iiii, & in opp. ii. de caus. poss. & prop. ueritas ex eo magis patet, quòd in una, & eadem causa duæ sententiæ definitiuæ fieri non possunt, l. i. C. senten. rescind. non poss. & in causa appellationis clarum est, aliam fieri sententiam. ideo diuersam etiam esse causam fateri necesse est. Quod & alia ratio probat. nam licet iuratum sit de calumnia in causa principali, tamen & in causa appellationis iurandũ est. quod non fieret, si esset una causa. glo. in l. ii. C. de iuram. calumn. et c. in appellationis, de iuram. calumn. lib. vi. præterea uidemus causam principalem triennio durare, l. properandum, in princ. C. de iudic. ei uero qui appellat, quandoque annum, & quandoque biennium impertiri. auct. ei qui, C. de temp. appella. c. Abbate, de appell. quòd si promisero tibi patrocinium præstare in tali causa, potero patrocinium præstare aduersario tuo in causa appellationis, quia noua, & separata causa est, glo. in l. ult. de postulan. Ac firmandum est, sicut primus iudex causam Sapientis Consilio commisisset, si commissio petita fuisset, ita appellationis iudicem facere posse, quia secundum eas leges iudicare debet, quibus cogebatur iudex, a quo

quo appellatum eſt. tex. & glo. in auct. ut cum de appella. in cogn. in princ. Alex. conſ. xcvi. nu. v. lib. II. Nec faceret, ſi obiiceretur, municipale compromiſſum, in prima cauſa non petitum, in appellatione peti non poſſe. Iaſ. in l. ſi cauſa Cognita, C. de tranſact. & Alexan. conſ. lxxii. lib. III. quia cum ex ſtatuto bis prouocetur, primo appellans tertio prouocaret, ac melioris eſſet conditionis eo, qui ſententiam obtinuit. Caſtrenſ. (qui hoc primus conſiderauit) conſ. cccxx. et quia non decet arbitros cenſuram ſententiarum ordinariorum iudicum exercere, ſicut non decet, ut ordinarius ſequatur, quod ab arbitro factum eſt, ut dicebatur cap. xxi. ideo iuris erit, ut in hac noua appellationis cauſa Conſilii Sapientis beneficium tribuatur. quod & diuturna noſtra conſuetudo comprobauit.

Cum quæritur, num cauſa committi poſſit, ſimilia aliorum circa commiſſiones exempla inſpici debeant. Cap. XXIX.

Sicut initio huius libri uiſum eſt, cui magis faueat iudex in cauſis committendis, reo ſcilicet an actori, ita hic etiam in fine uideamus, an ea in re aliorum iudicum exemplis moueatur, cum exemplorum, & rerum iudicatarum maxima in iure ſit auctoritas. l. cum de conſuetudine, & l. nam Imperator, de legib. unde Vlpianus uolens probare cæcum gerere magiſtratum poſſe, Appii Claudii ſeueriſſimam ſententiam adduxit, dixitq́. traditam ab eo diſtinctionem multis probari exemplis. in l. i. §. quamuis, de poſtul. ac ad rem pertinent ea, quæ de reſcriptis habentur in l. i. C. quom. & quand. iud. & quod dicimus ad ſanctorum patrum exempla eſſe recurendum, cum de fidei articulo aliis ue ſimilibus dubitatur. c. de quibus, xx. diſtinct. c. qui de menſa, cum ibi nota. xxxvii. diſtin.

stin. Attamen contrarium Imperatoria lege expresse sancitum est, cuius uerba, ut res pateat illustrius, recitemus, & talia sunt. Nemo iudex uel arbiter existimet, neque consultationes, quas non recte iudicatas esse putauerit, sequendum, & multo magis sententias eminentissimorum Præfectorum uel aliorum procerum. non enim, si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum iudicum uitium extendi oportet, cum non exemplis, sed legibus iudicandum est; nec si cognitionales sint amplissimæ præfecturæ, uel alicuis maximi magistratus prolatæ sententiæ, sed omnes iudices ueritatem & legum, & iustitiæ sequi uestigia sancimus. l. nemo, c. de senten. & interloc. omn. iud. quocirca Spec. instruens iudicem sententiam prolaturum, ei nõ exempla, sed leges sectandas esse proponit, in §. qualiter, uers. debet quoque, de sent. docentq. Bar. & Saly. ut ad confirmationem, & in dubiis exempla ipsa adducamus, in d. l. nemo, ac iure quidem merito, quia cum doctoris auctoritas probabilis & non necessaria sit, eius dicto non credimus, sed legi tantum uel rationi ab eo adductæ. Bar. & plerique alii in l. i. si cert. peta. Indecorum igitur est aliorum iudicio moueri, & ad iudicem ipsum potius pertinet, ut imprimis ius omni adhibita ratione perpẽdat. adhibita enim ratio (ait Cice. lib. IIII. Tuscula.) cernit quod optimum sit, neglecta multis implicatur erroribus. facitq. ratio textus in l. adigere, §. quamuis, de iur. patr. nisi adeo sæpe secundum exempla iudicatum fuerit, ut inualuerit consuetudo, quæ legis locum teneat: quo casu, non exemplis, sed secundum consuetudinem iudicabitur. Bald. in rub. c. quæ sit long. con suet. Bart. in d. l. nemo. uel nisi exempla in iuris corpus redacta essent, ex eo ue Rescripto prouenirent, in quo Princeps inducendi iuris. interpretandi ue animum habuisset. l. ult. c. de leg. glo. in c. institutionis, XXV. q. i. Spec. in d. §. qualiter. Hic etiam oritur memorabile dictum Guidonis Papæ existimantis exemplis Senatus Dalphinalis esse iudicandum, in Decis. q. lxviii. Quod mihi

sub

ſub hoc Veneto Imperio ad triginta, quadraginta ue uirorum iudicia, quæ conſilia appellant, placet extendere: & non minoris auctoritatis eſt huiuſcemodi pronuntiatio quàm ſentẽtia regia, quæ facit ius quoad omnes in regno, Matth. afflict. Deciſ. Neap. xcvi. Nec nego bene facturum iudicẽ, in re dubia ſummorum hominum iudicia, quæ pro ratione ſunt, non aſpernari, l.i. §. eodem autem, ad Syllan. cum ſi. Fab. Quint. lib. I. cap. vi. De cauſis, & temporibus ſatis explicatum ſit ad ordinem committendi, & ex Conſilio pronuntiandi tranſeamus.

DE CONSILIO SAPIENTIS, IN FORENSIBVS CAVSIS ADHIBENDO, LIBER III.

A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTVS,

AD BARTHOLOMAEVM VITELLIVM.

Quo modo ad committendam causam procedatur, & an commissio reuocetur, pereat ue. Cap. I.

HACTENVS de ipsa ui, naturaq. Consilii, deq. Sapientis persona, tum, quibus causis, & quo tempore huiusmodi Consilium peti liceat, pertractauimus. nunc autem quæ fieri possunt, seruariq. debent in Consilio petendo, & ex eo ferenda sententia consequuntur. Ac in primis non dubium est, prius causam committi debere. ordo uero committendæ causæ, quamuis a Spec. tractari uideatur, de requis. cons. uers. scias, & a Bart. de cons. habend. in princ. tamen quia ipsi declarare potius uidentur, quæ pertinent ad Sapientis electionem, cuius paulo inferius mentionem faciemus; nunc, ut ordinatim procedatur, illud tantum annotari poterit, ut si ex se iudex Consilium requiret, partibus declaret se uelle cum Consilio, Sapientis causam terminare. cum uero hoc litigator petet legitimis diebus causam committet, seruatis generalibus legum præceptis, de quibus in l. de unoquoque, de re iudic. & in l. i. de feri. alias, si nulla præcedente citatione, uel tempore feriato commissio fieret, iusta aduersus eam nullitatis oppositio insurgeret, ex notatis in prædictis

ctis locis, & a Butrio, ac Panor. in c. ult. de iudic. & in c. ult. de fer. eo semper inspecto, quòd, si electio absente parte fiat, ipsa parte uere contumace fiat, ut consulendo docet Ang. cons. CCXVI. et attendetur in ipsa electione loci consuetudo. Bald. in cons. CLXX. lib. III. legitime uero facta commissione, poterit ne iudex (ut a re proposita paululum digrediar) commissionem ipsam reuocare, & absque Consilio sententiam ferre? crederet quispiam reuocationem facile admitti, si uiderit Bart. in l. ad Principem, de appellat. Ang. in l. i. C. de relation. & Bald. in l. ex illo, C. de appella. eoq. magis quòd nec reprehendenda est huiusmodi uariatio, quam & grauioribus in rebus ratione suadente commendari legimus. c. ne innitaris, de constitut. & c. fraternitatis, de frig. & malef. Puto ego commissionem, quæ causa cognita facta est, reuocari nō posse, ex l. Diui, de pœn. & l. i. C. sentent. rescind. non poss. quod pro nostra cōsuetudine breuiter probabimus, si dicemus huiusmodi declarationem parere exceptionē rei iudicatæ, consequentia in iure non inualida. l. quod diem, §. si rationem, de compensa. l. i. C. si ex fals. instrum. glo. in l. quod iussit, de re iudic. Bartoli autem, ac ceterorum sententiam intelligo in simplici commissione, seu missione partium ad Sapientem secundum uim illorū uerborum, Quod iussit, uetuit ue Prætor, de quibus in d. l. quod iussit, Bald. in c. si pro debilitate, de off. delega. & in c. intimasti, de appellat. non præsumitur causæ cognitio, cum reuocatio permittitur, ut in l. dicere, §. ult. de arbitr. & in add. ad Bar. in d. l. ad Principem. nam causæ cognitione interueniente cōtrarium sensit ipsemet Bart. in ampla, & notāda distinctione posita in l. nec quicquam, §. ubi decretum, de off. proconf. nec posset reūocari commissio, quoties municipalis lex iudici Sapientis Consilium imponeret, Bald. in d. l. ex illo, & Alex. add. Bart. in l. i. §. si plures, uers. quarto, de exercito. Praeterea, quod magis est, commissio ipsa nec appellationis remedio reuocari poterit, l. ante sententiæ, C. quor. appell. l. ii. C. de Episc. audien. iuncto Bart. in d. l. ad Principem.

quia est interlocutoria quae habet reparationem per appellationem a diffinitiva, ut per additionem ad glo. ibi in dicta l. ante sententiae.

cipem. Etenim unicum eſt ius, unica iuſtitia, quæ certas inter metas ſe continet, & dici non poteſt diuerſo iure iudicari, ac grauamen afferri per definitiuam irreparabile. l. ii. cum ibi nota. de appell. recip. l. i. §. quæſitum, ibique nota. de appell. Hoc apud nos perſpicuum eſt, ex Auguſtini Barbadici Principis reſcripto, quo Senatus decreto cauetur, ab iis pronuntiationibus appellari non poſſe, & iure etiam communi uerum eſſe expreſſe affirmant Panor. & Deci. in c. intimaſti, de appellat. Sed ſi cõtra iudex pronuntiaſſet, cauſam ſcilicet nõ eſſe committendam, tunc, quia hæc grauamina per definitiuam remoueri non poſſunt, & iure communi inſpecto, ut res tutius agatur, & magis noſtro municipali, ut controuerſiæ domi terminentur, appellatio non denegaretur. Panor. in d. c. intimaſti, Calcane. conſ. lxxxii. col. i. & Ang. conſ. clxxxviii. Commiſsionem autem cauſæ, quæ ut conſtat ex nota. ſupra lib. ii. cap. xii. & xiii. ad ordinem iudicii ſpectat, lite mortua perire neceſſe eſt. l. ii. ibiq. not. iud. ſolu. & c. cauſam, i. cum ibi not. de teſtib. Effectus tamen quædam uis remanet, qua, quòd ſemel commiſſa eſt cauſa, ſemper committi poſſe ſignificatur; idq. inſtaurata cauſa non eſt inutile, ar. l. pater filium, §. quindecim, de leg. iii, & not. a Bart. in l. i. prope fi. C. de impon. lucra. deſcript. At de his ſatis, ad reliqua pergamus.

Commiſſa cauſa, an aliud quicquam produci poſſit, & quæ ſeruentur in eligendo Sapiente.

Cap. II.

ANTEQVAM eligatur Sapiens, aliud oriri poteſt dubium, quod locus hic poſtulare uidetur, an poſt factam commiſsionem cenſeatur in cauſa concluſum. Et uidetur concluſum, ſi ad quorundam opinionem attendatur, qui arguunt de relatione ad Conſilium, adducendo l. i. C. de relat. in illis uerbis, Nihil ad nos mittatur, quod plena inſtructione indigeat. & l. cum a nobis, C. de dilat. & l. ne cauſas, C. de appella. cuius ſententiæ fuit ipſe Bar. ut clare

re exprefsit in l. ex illo, C. eod. tit. tametſi uoluntariam commiſsionem diſtinxerit a neceſſaria uigore ſtatuti in l. i. nil inn. appell. pend. Et Baldus quoque uidetur idem ſentire in conſ. cccix. lib. II. cum ait, liquidorum inſtrumentorum productionem fieri poſſe, ſi maxime iuret pars ex legitimo impedimento producere non potuiſſe. ar. c. paſtoralis, de except. & nota. in clem. ſæpe, de uerb. ſignif. cum ſi. quod quidem iuſiurandum iuſta ſuadente cauſa, & extra ordinem deferri ſolet. l. admonendi, ibiq. Bart. & Iaſon, de iureiuran. Attamen Caſtrenſis contrarium cenſuit in d. l. ex illo, crediditq. cum productiones, tum probationes poſſe fieri. cuius ego ſententiæ ſemper acquieui. quamuis autem ſupra lib. II. cap. xxvi. dixerimus, poſt concluſionem in cauſa licere Sapientis Conſilium petere, non tamen excluditur, quin & ante concluſionem petiposſit; unde ante concluſionem cauſa commiſſa, uſque ad concluſionem probationes, & productiones fieri potuerunt. Quæ uero contra opponebantur, unico tolluntur uerbo. Fateor equidem nil ad Sapiētem mitti debere, quod plena inſtructione indigeat, eumq. debere conſulere ſuper iis, quæ ſibi miſſa ſunt, d. l. ne cauſas, Panor. in c. intimaſti, ext. eod. titu. & Bar. in l. in offerendis, C. de appell. Sed quæſtio noſtra intelligitur datis terminis habilibus, & in terminis tantum commiſsionis: quæ, ut dictū eſt, ſi fit ante concluſionem, concluſio poſtea fiet, & erunt Sapienti ſcripturæ tranſmittendæ, ſuper quibus Sapiens conſulet in nullis aliis ſe impediendo, Caſtr. & alii in l. i. C. de relat. Electio autem fit (ut ad ſuperioris capitis inſtitutum redeam) ſecundum formam legum municipalium, ac conſuetudinum, ut Spec. & Bart. ibidem citati docuerunt. et aſſumentur Sapientes ex collegio ciuitatis, ubi controuerſia uertitur, ne illius fori ordines peruertantur, iuxta nota. in l. i. C. de ſumm. trin. & in l. quod clericis, C. de Epiſco. & cleric. reiecta quorundam opinione relata in addition. ad Panor. in d. c. intimaſti. quòd ſi diuerſi fori eſſent litigantes, utriuſque fori Sapiēs eligatur. cum uero nec ſtatuta, nec conſuetudines prouident,

uident, illud uel maxime aduertendum erit, ut suspectorum, & confidentium ratio habeatur. Bald. in l. i. C. de relat. & in c. si pro debilitate, de off. delegat. et ne fallamur, talis breuis, ac distinctus ordo seruabitur. Aut ex se iudex Consilium requirit, tunc partibus statuet terminũ, infra quem sibi suspectos edant: et si suspectos edere non curauerint, ipse eum secernet, quem ratus fuerit sapientiorem. Datis uero suspectis, Sapientem ab illis semotum eliget, numerum suspectorum arbitrio suo augendo, uel minuendo, iuxta Sapientum in ciuitate existentium numerum, ex ratione l. i. de testib. & c. sedes, de rescript. ideo interdum causa cognita, & interdum facilius hanc suspitionem admittet: quæ ex regula non passim, uel sine causa permittitur. c. legitima, de appell. lib. vi. nota. in c. suspicionis, de off. deleg. & in c. cum speciali, de appella. Poterit etiam iudex, si exiguus erit Sapientum numerus, iurisiurandi religione uti. c. cum dilecti de elect. c. litteras, de restitut. spoliat. l. thesaurus, ad exhib. ut purgetur in litigatoribus doli suspitio, quacunque in exceptione purganda. Bart. in auct. hoc sacramentum, C. de iuram. calumn. Spec. in §. i. eod. suo titu. Aut parte petente eligitur Sapiens, tunc altera admonita ut pro Sapiente eligendo adsit cum significatione suspectorum, uel confidentium, eodem ordine seruato, electio fiet; quæ redigetur in actis una cum articulo quæstionis, ar. c. quoniam cõtra, ibiq. nota. de probat. nec impedietur iudex, nisi contraria obsistat consuetudo, Sapientem eligere, licet ex numero confidentium non fuerit, dummodo inter suspectos non connumeretur. ar. c. statutum, de rescript. lib. vi. Et Sapientis etiam electione facta, arbitror ex prædictis productiones, aut probationes, haudquaquam impediri posse, nisi sit expresse in causa conclusum, antequam tamen acta ad Sapientem legitime missa fuerint.

Qui

Qui Sapientes porrigantur iudici pro electione facienda. Cap. III.

QVIA bonus quilibet ad singula peragenda ratione ducitur, nostrum Cõsilium minime obscurum fuit, ut hic litigantes moneremus, quos ex ordine Sapientes iudici porrigere iure possint. Pro suspectis exempla erunt in inimico nostro, at in amico partis aduersæ. l. non distinguemus, §. cum quidam, de arbitr. Alciat. in tract. de præsumpt. in reg. i. præsumpt. xxviii. in eo qui fuit aduocatus in causa, uel socius in domo aduersarii, Bald. in l. placet, cum ibi addit. C. de sacr. eccl. c. postremo, de appell. c. insinuante, de offi. deleg. atque in eo, qui similes pateretur oppositiones, de quibus late Deci. in d. c. postremo. Pro confidentibus uero ut porrigatur prudens, ac iustus, quia in corde prudentis, ut dicitur in prouerb. requiescit sapientia, & os iusti parturiet sapientiam. Atque is, qui experientia ualet, cum ab animis cõsuetudine imbutis (inquit Cicero de natu. Deor. lib. I.) petere testimonium ueritatis debeamus. Is quoque, qui passionibus uacat, ac rei ueritatem inuestigare cupit. Clem. i. de heretic. l. ii. C. de eden. & qui in consulendo diuinare nolit. l. nolit, ibiq. Saly. C. de malefic. & math. at is qui iracundus non sit, & ad consulendum non præcipitat. Iracundia enim (ut inquit Cicero pro Marcello) est inimica consilio. & uoluntas consulentis præcipitans nouerca iustitiæ nuncupatur. Clem. pastoralis, §. uerum de senten. & re iudic. Item qui alienam necessitatem propriam existimet, adeo ut cautus, fidelis, & iustus appellari possit. Bald. in l. ii. C. de senten. ex pericu. recitan. & in c. intimasti, de appellat. qui ue ambitiosum, & auarum ingenium non habeat, & denique ab iis uitiis absit, quæ Remp. euertunt, quæ tria sunt, immaturum consilium, priuatum commodum, & occultum odium. Alberi. in l. i. C. de Iustin. Cod. compo. Atque hæc sufficiant pro qualitatibus eorum, qui a secreto exhibentium animo pendent. Pro eis etiam

etiam exempla non deerunt, de quibus in iudicio quandoque disputatur, an porrigi iure possint. Et primo si de Sapiente quæratur, qui a ciuitate exulat, celebri doctrinæ Bartoli innitemur, quam Salyc. Castrens. Alex. Ias. ceteriq. alii probarunt in l. i. C. de hered. instit. ut si a ciuitate exulat, ut posit impune offendi, is porrigi non debeat, quia collegii iuribus amplius non gaudet, ac deportato æquiparatur. l. amisione, §. qui deficiunt, de cap. dimi. Spec. in §. differt, uers. quid de banni. de arbitr. Et cum ciuitatem amittat, ab omni ciuitatis beneficio arcetur; quia pro mortuo existimatur. l. actione, §. publicatione, pro soc. l. i. §. quidam, de bonor. possess. con. tabul. Sed si talis est exilii conditio, ut eum offendens pœna puniatur, tunc consulere nõ prohibebitur. ar. §. re legati, Instit. quib. mod. ius patr. potest. Soluit: quoniã ciuitatis suæ beneficia non amisit, ut crebrior statuit sententia in d. l. i. de hered. instit. Quid si de eo quæratur, a quo appellatum est, uel qui semel in causa nulliter iudicauit? Licet in eum, a quo appellatum est, compromitti posit, ut ex sententia Cunei, & Bapt. a Sanc. Blas. nouissime probat Blancus de compromissis, q. ii. num. xliii. contrarium tamen in Consilio reor, ne sequatur absurdũ, ut pro sustinenda sententia nostra iniuste consulamus. Bald. in l. ne in arbitris, C. de arbi. Felin. in c. cum a nobis, de testib. quod cum pluribus aliis exemplis, & au ctoritatibus probare posim, his ero contentus. Illius tamẽ rationis ueritatem similibus rationibus probo. nam, quo modo ostenditur iudicem ordinarium arbitrum esse non posse? ostenditur quidem ex eo, quòd cum iudex debeat iuste iudicare, ita dictante iuris utriusque forma. l. illicitas, §. ueritas, de off. præsid. c. ii. de off. ordin. & ut id perfecte agat, iurare debet iuxta formam traditam in auct. iusiur. quod præst. ab his; & cum perspexerit lex, hoc non sufficere, inuitauit iudicem ad iuste iudicãdum timore appellationis. nam, si tanquam arbiter iudicaret, inuitaretur ad peierandum, quia appellari non posset. l. diem proferre, §. stari, de arbitr. l. conuenire, de pact. dotalib.

quòd

quòd si, ob familiaritatem cum aduersario, Sapientem iuste recusamus, quanto magis id uerum erit, cum de eius proprio honore agitur? et id confirmo ex ratione l. uideamus, in princ. cum glo. de in lit. iur. Quod uero de arbitro diximus, id nunquam probarem in arbitro iuris ex l.i. de arbi. sed in eo tantum, qui ius & factum sequitur, de quo Blanc. d. nu. xliii. quo casu, unusquisque affirmabit nullum arbitro dedecus generari, si uno modo, ut iudex, & alio modo, ut arbiter, iudicauerit. In eo autem, qui semel in causa nulliter pronnntiauit, distinguemus. Aut iudicantis dolo sententia nulla fuit, & illius electionem non admitterem, quoniam iniquitatis timor & in consulendo subesset. ar. l. absentem, C. de accusat. nota. in l. si ut proponis, i. C. quom. & quand. iud. Aut sententia alia de causa nulla est. tunc, quia dolus abest, ac electus omni suspicionis dubio uacat, consulere non prohibebitur. l. si præses, C. eod. titu. & l. ult. C. de senten. quæ sin. cert. quant. Bald. in d. l. ne in arbitris. Panor. in d. c. cum a nobis. Si uero electio esset contra ordinem facta, uel de persona suspecta, prouocari poterit. Bald. in l. ult. & ibi Castren. C. de senten. ex pericu. recita. Illud etiam notandum est, cum optimi Doctores a lege deligantur; optimos eos intelligi, qui scientiam iuris ciuilis optime calleant. Ang. in l. ubi autem, in princ. uerb. oblig.

Quibus casibus plurium assumptio fiat, extante lege, duos uel tres arbitrio iudicis eligi posse. Cap. IIII.

Ex nostra municipali lege statuente duos, uel tres Sapientes assumi posse, si iudici, uel partibus melius uideatur, interdum in iudicio quæritur, quando iudex ad plurium electionem adduci debeat. Quinque casus ego paucis fingam, ut planius res pateat. Primus erit, quando pluribus iudici datis confidentibus, partes in aliquem concurrere non potuerint: tunc duorum, plurium ue assumptio rem minus periculosam efficiet. & licet hoc natura-

li ipsa ratione probari sufficeret, constat etiam ex doctrina Baldi in l. iuris ignorantiam, C. qui admit. ex c. de quibus, xx. distinct. & Ang. in cons. clxxxvi. Secundus erit, si de ardua difficiliq. causa agitur. quæ quando ciuilis est, criminali comparatur. Bald. in l. parentes, C. de testib. Sicul. cons. iii. col. x. uers. et si quispiam opponat, lib. II. et plerunque etiam sua obscuritate homines excusare solet. glo. in c. Capellanus, & ibi nota. de fer. facilius enim inuenitur quod a pluribus quæritur. d. c. de quibus, ubi glossa tanti facit multorum iudicium, ut plurium exẽplis standum putet, tametsi ex regula non exemplis, sed legibus iudicetur, l. nemo, C. de senten. & interloc. l. singuli, C. de accusat. Tertius casus erit, quando ex senioris grauissimiq. uiri consilio prima sententia lata sit, quod & casu contingere potest, & statuti iussu. Ang. in l. ubi autem non apparet, de uerb. oblig. Bolognin. in auct. habita, num. cxlvii. C. ne fil. pro patr. & id uerum esse iudico, non quòd ex alicuius auctoritate a iuris tramite Sapientem remoueri dubitemus, sed quia in cortigendo tanti uiri consilio, plurium iudicium, & consilium quasi sit necessarium, c. prudentiam, in fi. i. Respons. de off. deleg. l. ult. C. de fideicom. c. ad nostram, cum glo. in uer. quæritur, de consuet. Quartus erit, si de magna re agatur, quæ ob maximũ, quod uertitur, interesse ardua censetur. l. propter litem, de excusa. tut. Anch. cons. xxvi. Sicul. d. cons. iii. & iccirco tutius est huiusmodi causam a pluribus tractari, l. in offerendis, C. de appell. plane uidemus iura rem magni momenti, magni etiam facere. l. sancimus, C. de donat. l. ult. cum auct. seq. C. de sent. ex peri. reci. unde datio tutelæ iure magistratus non competit, si pupilli substantia excedat quingentos aureos, glo. in l. i. de off. ei. cum ibi nota. & causæ meri, & mixti imperii mandari non possunt, d. l. i. ubi enim maius periculum intenditur (inquit Pontifex) ibi est plenius consulendũ, c. ubi periculum, de electio. lib. VI. Quintus erit, si una partium in ciuitate potens sit, ne ex nimia potentia, legibus semper inuisa, inique inopes uexentur, ut constat ex

titu.

titu. C. ne lice. potent. et l. unica, C. quan. Imper. inter pupil. nemo autem negabit, quo plures ſunt Sapientes, eo minorem & fraudis, & erroris ineſſe ſuſpitionem, ar. c. ſi quando, de elect. lib. vi. & c. eccleſia, ii. extr. eod. fa citq́. Matth. Mattheſil. in paruo tractat. uerior. opin. Sed ſi litigatores æque potētes eſſent, omnes propoſitæ ratio nis uires deficerent. Bald. in l. ult. eod. tit. ne lice. poten. l. non ſolum, §. i. de ri. nupt. At quiſpiam non credat, ex quolibet dictorum caſuum ad plurium ſemper electionē eſſe recurrendum, ſed ut rei qualitas, uel fori conſuetudo, cauſæque accidentia dictabunt, eorum, quæ modo diximus, ratione habita, iudex unum, plures ue eligendos pronuntiabit.

An iudex debeat ab utraque parte probatam Sapientis electionem ſequi; & quid agendum, ſi partes diſſentiant. Cap. v.

Si actor, & reus in Sapientis electione conuenerint, iudex non cogitur electionem ipſam approbare, ſed ſuo ſenſu poteſt Sapientem eligere, annotante Alex. in addition. ad Bar. in l. in uenditione, §. ſi unus, de bon. auct. iu dic. poſsid. adducente Innocentium, qui de aſſeſſore loquitur, in c. ſuper quæſtionum, de off. deleg. Et quamuis ex textu in d. §. ſi unus, contrarium uideatur ſumi poſſe argumentum, cum ibi dicatur, Expeditiſsimum eſt, ſiquidem inter eos conueniat, quibus locandi poteſtas con ceſſa eſt: Alexandri tamen opinionem, iure communi inſpecto, ueriſsimam puto; ea ratione, quia ſi de ſententia agitur a iudice ferenda, conſequens eſt, ut de eius præcipuo intereſſe agatur, non ſolum honoris, & conſcientiæ cauſa, quæ maxima eſt, uerum & quia ſyndicatus timore tangitur. Bar. in l. ſi conuenit, eod. titu. Bald. in c. ſi pro debilitate, de off. deleg. & licet prima facie ſuperuacanea uideatur eſſe datio confidentium, de qua ſupra cap. ii. ſi præter Sapientis electionem utrinque probatam, iudex ſe ingerere poteſt: tamen non eſt, cum ex ea iudex

certus reddatur, de quibus litigantes confidant. satisq. esse uidemus, ut plurimum formam traditam obseruari. l. suus, §. puto, de hered. instit. l. pen. §. ult. de impens. in reb. dota. Nec est mirum, quando non agitur de interesse tertii, si expeditissimum dicitur, cum inter eos conuenerit, qui locandi potestatem habent. l. nemo exterus, C. de Iude. l. pen. C. de pact. Vnde, si concurrentibus partibus in electione Sapientis alium eligere iudex potest, magis quidem dissentientibus ad iudicem spectabit electio. Bart. in l. i. §. i. de uentr. inspic. & Bald. in c. proposuisti, de probat. neque illud ab re, propterea quòd & in omnibus aliis idem fieri solet. patet quando Sapientes dissentiunt in consiliis, iudex opinionem eligit, quæ sibi magis placet. Bart. in l. duo iudices, in fi. de re iudica. siq. inter eos, quibus locandi potestas est, non conuenerit cui fundus locetur, adeundus erit Prætor. d. l. in uenditione, §. si unus. et si plures sint tutores, nec a testatore electus fuerit, quis gerat, uel eorum maior pars alicui tutelam non decreuerit, statuet iudex ipse quis tutelam gerat, l. iii. §. ult. de administr. tutor. Eodem pertinent, quæ notantur a Bart. in d. §. si unus. Panor. in d. c. proposuisti, Iaso. in l. ult. C. de iudic. & satis diffuse a Felino in d. c. super quæstionum. Quod autem dictum est, etiam concurrentibus partibus in electione iudicem posse alium eligere, iure cõmuni inspecto, eo diximus, quia apud nos statuto contrarium dictante, aliud etiam a nostris iudicibus obseruatur.

Quid, si in pluribus partes conueniant, & unus tantum sit eligendus. Cap. VI.

QVIA res commodius expeditur per unum, quàm per multos, ut notatur in l. ii. uers. non rebus dictantibus, de orig. iur. litigantes unum tantum sæpe uolunt eligere, licet in duobus, pluribus ue coram iudice conuenerint. quare nosse debet elector iudex, quem ex illis eligere iure possit. Iuniorum conditionem (dicet aliquis) imprimis animaduertet, iuxta illud, Quanto iuniores,

tanto

tanto perſpicaciores, glo. in l. gallus, in princ. de lib. & poſth. Seniorum potius, ſubiunget alius, ratio habebitur, ex ea, quam obſeruauit Alciatus, præſumptione, antiquiorem ſcilicet melius ueritatem ſcire, de præſumpt. reg. i. præſumpt. xlv. Vnde (inquit ipſe) iis, qui ſunt canitiæ graues, non parum deferri ſolet. l. ſemper, de iur. immu. §. ſi uero aliqui. i. in auct. de quæſtor. Addiderunt & alii dictæ regulæ, pro ſenioribus præſumi in cuſtodiendis inſtrumentis, in dignitatem collationibus, in excuſationibus recipiendis, & in aliis pleriſque, quibus iuuenes non potiuntur, l. ult. de fid. inſtr. c. ſtatuimus, lxi. diſtinct. c. placuit, xviii. diſtinct. cum ſi. Ego uero probatiſsimum, & optimum Sapientem a iudice eligendum eſſe exiſtimo, cuius conſilio nitatur; reorq. in hoc præcipue iudicis arbitrium uerſari, ut ſicut doctiores in collegium eſſe cooptandos dicebamus ſupra lib. 1. cap. v. & vi. ita eligatur is, qui iudici doctior ac ſapientior uideatur. l. i. C. de profeſſ. qui in urb. lib. xii. glo. in l. i. C. de anno. ciui. c. porro, lxxxiiii. diſtinct. quod tacite innuere uoluit Felinus cum ait, ſubtiles cauſas tardioris ingenii doctoribus non eſſe committendas, in c. ſciſcitatus, in uerb. illiteratus, de reſcript. Si uero hæſitet iudex quis ſapientior ſit, fatebor equidem ætati eſſe deferendum, quia raro labitur ſenilis ætas in conſiliis. c. de quibus, xx. diſtinct. & c. xxv. eccleſiaſt. quàm ſpecioſum (legitur ibi) canitiei iudicium, quàm ſpecioſa ueteranis ſapientia, & glorioſis intellectus, & conſiliũ. facitq. c. porro, lxxxiiii. diſtinct. c. viii. eccleſiaſt. & quod copioſiſsime notat Bologn. in auct. habita, num. cl. C. ne fil. pro patr. Butigel. in l. cum quid, ſi cert. petat. et Bartho. Veronen. de imper. milit. deligen. cap. i. Eodem pertinet quod in Cato. inquit Cicero, his uerbis. Non uiribus, nec uelocitatibus res magnæ geruntur, ſed conſilio antiquorum, & ſcientia, quibus non orbari, ſed augeri ſolet ſenectus. & his aliis uerbis. Conſilium, ratio, & ſententia niſi eſſent in ſenibus, non ſummum cõſilium maiores noſtri ſenatum appellaſſent. Iuniorum enim mentem inſtabilem eſſe dixit

Plato

Plato de legib. Et iuuenem imperitum actionum uitæ, ex quibus rationes conficiuntur, appellauit Aristot. lib. I. Ethic. cap. iii. Ad primam auctoritatem una cum Alciato respondeamus, pro senioribus præsumi, quia uerisimile est, quòd perspicaciter a se in iuuentute inuenta melius concoxerint. Patet igitur in quo doctrina, seu sapientia cognoscitur, quacunque is ætate sit, esse deligendum. Si uero dubiam sentẽtiam parum manifesta doctrina, aut sapientia facit, tunc ætatem spectari oportere. et si par emineat doctrina, ad concursus ordinem recurrendum putarim, ut qui prius conuenerint eligantur tanquam uotis partiũ, quæ eos priore loco apposuerũt, proximiores.

An Sapiens electus recusare possit munus consulendi; & appellare, si non ei lubeat consulere. Cap. VII.

SI libro I. cap. v. diximus Sapientes ex Principis auctoritate respondere, publiceq́. constitui, inde simul sequitur consulendi munus publicum esse, ac inuito Sapienti iniungi posse. ar. §. i. cum glo. in uerb. publicum, Instit. de excusat. tutor. In iudicibus id clare statutum legimus in l. ult. §. iudicandi, de muner. & honor. atque ad Sapientem nostrum ab Accur. extenditur in l. ii. C. de prox. sacr. scrin. lib. XII. quod & probauit Ioannes And. addens Speculatori de requis. cons. §. nunquid, & Bart. in l. sancimus, C. de aduocat. diuers. iudic. idem consulendo existimauit Corn. cons. cl. in princ. lib. IIII. sed id secundũ Bart. in eo Sapiente uerum intelligitur, qui iudicis eligentis iurisdictioni subiectus est, l. i. C. qui pro sua iurisd. faciṫq́. c. pastoralis, de off. delegat. atque declaratur, id in eo Sapiente locum non habere, qui cum iudice sanguinis necessitudine coniungitur; quia moleste ferunt homines coniunctorum opinionibus aduersari. ar. l. humanitatis, C. de excusat. tutor. Cuius rationis argumento idem in illo Sapiente affirmabimus, qui ei, ex cuius Consilio prima sententia lata esset, sanguine coniungeretur, uel si al

ter

ter litigatorum ipsi electo eodẽ uinculo obstrictus esset: quo casu non solum excusatio erit legitima, sed nec debebit electus cõsulere, l. qui iurisdictioni, de iurisd. omn. iud. l. lex Cornelia, in princ. de iniur. Plane ratio de Sapiente iudici coniuncto (ut opinor) non procedet, quando municipii iure cogitur iudex sequi Consilium. Panor. in ar. in c. i. de iud. cum aliis iam in superioribus adductis, & inferius adducendis. nam quando iudex (ut apud nos) nec iura partium perspicit, nec partes ipsas audit, sed sequitur necessario Consilium, quid refert ab extraneo magis consilium habere, quàm a cognato? & quid magis consulere extraneo, quàm coniuncto? Ang. cons. ccxvi. Calcan. cons. lxxxii. Excipiamus etiam a conclusione causam legitimã, atque iustam Sapientis excusationem, quæ si a iudice non admitteretur, prouocari posset. Bald. in l. si pater, C. si pend. appell. Et quamuis ob interlocutoria non soleat prouocari, l. ii. C. de episc. aud. l. ante, C. quor. appell. prouocari tamen poterit isto casu, quia Sapienti grauamen affertur irreparabile, & quoad ipsum (qui nullam aliam sententiam expectat) definitiua censetur. cui igitur mirum, si prouocare poterit? ar. l. i. C. de postu. l. ii. cum Bart. de app. recip. cessatq́. omne quod contra opponi potest dubium, si consideremus, quàm faueant leges legitime impeditis, & quàm equum sit iustum appellationis auxilium non denegari, l. i. de appell. Alex. cons. cxiii. lib. v. cum si. quinimmo in Sapiente, cuius officium auctoritate; & utilitate publicum est, putauit Baldus appellationem esse omnino necessariam, ad differentiam tutoris, cuius officium est auctoritate publicum, & utilitate priuatum. l. scire oportet, in princ. de excusat. tutor. iuncto Bart. in l. i. §. si plures, de exercit. sed non adeo Baldus alia excludit remedia, ut ab eodem iudice Sapiens minime subleuari posit cum ait. Probabiliter iudex faciet si sine appellatione grauamen reuocet. quod facere potest l. quod iussit, de re iudica & l. dicere, §. ult. de arbitr. Poterit nempe Sapiens ad oblatas occasiones tum excusatione, tum appellatione uti, si tamen ita postu
let

let fori conſuetudo ſemper, & ubique ſeruanda. Deciſ. Dalph. q. ccxcii. & Neapo. ccliii. Propoſita enim coram eodem magiſtratu excuſatione, ſi eam iudex admittere noluerit, in eademq́ue perſtiterit opinione, non deerit prouocatio. Bald. in d. l. ſi pater, l. i. ibiq́ue nota. C. de poſtulan.

An Sapiens, ubi conſulendam cauſam ſuſceperit, poſſit impedimentum allegare, aliumq́. ſubſtituere. Cap. VIII.

LEGITIMA cauſa, quæ (ut proxime uidimus) electionis tempore iuſtam excuſationem præſtabat, proderit ne ſuſcepto negotio? non proderit quidem, ſi tempore, quo negotium ſuſcepit, eodem impedimenti genere detinebatur. Bart. de conſil. haben. uerſ. xiii. Ratio eſt ut arbitror, quia cum nihil dixerit, uidetur competenti excuſationi renuntiaſſe, gl. in l. i. C. de poſtul. l. ii. §. uoluntatem, ſolut. matr. talis enim eſt quolibet in actu taciturnitatis uis, & natura, ut plerunque conſenſum, tacitam ue renuntiationem efficiat. l. ſæpe, cum ibi notat. de re iudica. auct. ſi ſeruus, C. de Epiſc. & cleric. cum ſi. ſed ſi impedimentum nouum eſt, tantiſper expectabitur donec ceſſet: ſi uero eſt longo tempore duraturum, alius ſubrogabitur, ut in iudice fit. l. Prætor, in fi. de uacat. muner. His caſibus iuſtum eſt, Sapienti excuſationem cōpetere, quibus, & appellantibus ſuccurritur aduerſus lapſum temporis. c. ex ratione, de appell. auth. ei qui. c. de tempor. appellat. Deciſ. Neap. lxxix. cum utrobique nota. ad quod facilis, & pronus erit iudex in loco inſigni ubi copia peritorum eſt. c. ſtatutum, ibiq́. glo. in uer. locis, de reſcript. lib. VI. Et non ſolum excuſationem admitti poſſe uidetur, ſed & Sapientem alium ſubſtituere poſſe, inſtar illius cui exercitatio contingerit, qui eam poteſt, ſi proficiſcatur, mandare. l. i. de off. eiu. & inſtar Vicarii Epiſcopi, ac Doctoris publici interpretis, Deciſ. Dalphin. q. ccclxxiiii. Bald. in l. ult. de excuſat. tutor.

modo

modo Sapiens aliquem eiusdem ordinis Sapientem substi tuat. c. quia propter, de electon. & . c. si quis iusto, in fi. eod. titu. lib. vi. & hoc modo suum sortietur effectum quod dicimus, substitutum eius naturam imitari, cui substituitur, sumptum ex l. si iudex, de iudic. contrarium tamen existimo uerius, ut substitutio nequaquam fieri possit, sed nouus eligi debeat Sapiens, sicut denuo causa committitur, quando datum Consilium est nullum. Bald. in cons. cccclxxxi. lib. I. ne eligendi potestas, quæ partiū, aut iudicis est, hac obliqua uia electo Sapienti tribuatur. Nam si pro dando tantum Consilio assumpti Sapientis industria electa est, quo modo Sapiens ipse alium substituere poterit? Innoc. in c. quoniam, de off. deleg. Bald. in l. nulli, C. de episc. & cleric. potest sane executor testamenti (ut notat ibi Bald.) nudum ministerium tantum alteri committere, & non actū deliberatiuum, ex quo eius industriæ ratio in Consilio ac deliberatione ipsa habita est. c. is cui, de off. deleg. lib. VI. Dominic. in c. ii. de testam. eod. lib. Nec bene comparatur is, qui iurisdictionē habet, cum Sapiente nostro, cuius duntaxat industriæ in dando Consilio ratio habetur, ut supra lib. I. cap. XVII. probauimus. In doctore quoque prælegente alia uiget ratio, siquidem substitutio ad aliquam temporis partem, non ad exitum uniuersi negotii producitur. Litigantes igitur, cū primum electi Sapientis excusatio fuerit admissa, denuo iudicem adibunt, ac seruata forma supra cap. ii. exposita, nouus ab eis uel a iudice Sapiens eligetur.

Punctus quæstionis a quo formetur, & an puncto possit contradici, & ab eo appellari. Cap. IX.

SVSCEPTO negotio, acta Sapienti traduntur: & si iudex omnia non transmiserit, aliqua nominis labe afficitur. Bart. in l. ne causas, C. de appella. quæ autem ueniant appellatione actorum, ex glo. & Alex. colligi potest in l. acta, de re. iudica. quandoque uero ad paratiorem rei no

tionem, ex actis elicitur punctus quæstionis,& ad Sapien tem mittitur. Bart. in l. i. C. de relat. quo casu a quo formabitur ipsius quæstionis punctus? Respondet Bar. a partibus esse formãdum, ipsis uero dissentientibus a iudice, in d. l. i. & ii. sequiturq́. Castrens. in l. ult. C. de iudic. & Roma. in rubr. de arbitr. col. vi. quod tamen declarabitur, & secundum ea intelligetur, quæ de Sapientis electione assentientibus, uel dissentientibus partibus supra cap. v. tradidimus; tametsi facilius puncti explanationẽ, quàm Sapientem eligendi facultatem partibus permitterem. confirmemus conclusionem ex doctrina Bartoli in l. iusiurandum, & ad pecunias, §. si de qualitate, de iureiur. & Bald. in l. de die, qui satisd. cogan. cum Panor. ac copiosis ad eum addition. in c. intimasti, de appellat. si partes etiam a iudice uocatæ contumaces sint, iudex punctum formabit: & si altera tantum contumax fuerit, nil sine ipso fiet. Imol. & Panor. in d. c. intimasti. ex contumacia enim nõ solum ius explanandi punctum amittitur, sed a principio fori declinatio, & quandoque causa ipsa principalis. Innoc. in c. præterea, de dilat.& glo.in l. contumacia, de re iudica. Et quando pars ex huiuscemodi puncti explanatione læditur, potest puncto a iudice formato contradicere, ut communis docuit interpretum schola in d. c. intimasti. Et quamuis sufficere uideatur cõ tradictio, Aret. in c. quoniam contra, col. v. in fi. de probat. cautius tamen fiet si appellabitur, inquit Deci. in c. intimasti, ex notatis ab Innoc. in c. quoad consultationem, in fi. de re iudic. Aret. in l. naturaliter, §. nihil commune, col. iii. de acquir. possess. & Bartho. Veronen. cautel. lxxxvi. cum aliis. et, ut notat ibi Decius, melius est ut omnia acta Sapienti transmittantur, & petatur ut consulat quid iuris. ex quibus uerbis potestatis plurimum habet Sapiens Ang. in l. eius qui, si cert. peta. & Bal. in c. i. in princ. de contro. inuestit. & Alex. in l. Titia, solu. matr. Ego illud idem censeo, quod & supra in excusatione, & appellatione Sapientis renuentis consulere sum arbitratus: utroque scilicet beneficio nos uti posse. Primo

mo contradictione, ut periculum fiat, an iudex mutare puncti explanationem uelit; postea appellatione, quando in eadem persistere uoluerit opinione. Ac melius (ut opinor) erit contradicere, atque a iudice audiri, intactaq. iura nostra seruari, quàm postea nobis ipsis uulnus quodam modo inferentes remedium quærere. l. ult. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. atque hoc modo uariis iuris remediis litigantes homines ab imperitia, do lo ue iudicantium subleuabuntur. l. Diuus, de custod. & exhib. re. glo. ult. late in d. c. quoniam contra. curabitur autem ut punctus breui exponatnr ordine, ne in uerbositatis uitium incurratur; quod plerunque tot litium semina, quot uerba, effundit. Bart. in d. l. i. & l. ult. C. de relat. facitq. l. ult. cum ibi nota. C. de precib. imper. offeren.

An improbari possit punctus tacite probatus, et an puncto ascribat iudex opinionem suam. Cap. x.

IIQVI in iudicio contendunt, quandoque expresse acquiescunt puncto a iudice formato, & quandoque tacite si non contradixerint. Bar. in l. i. & ii. cum ibi additis. C. de relat. Bald. Panor. & Dec. ln c. intimasti, de appell. si quidem regula est, patientiam, & non contradictionem consensum efficere. Bart. Alex. & Iaso. in l. quæ dotis, solut. matr. unde si partes semel acquieuerunt puncto, nõ poterunt amplius placito contrauenire. c. quod semel, de reg. iur. lib. VI. cum si. cum indecorum sit proprio facto, siue expresso, siue tacito aduersari. l. postquam liti, C. de pact. l. cum quid, si cert. petat. Appellari autem posse censuit Bart. in d. l. i. ab ea puncti compositione, cui contradictum non est, nisi tacuerit pars per cursum decẽ dierum, uel alio modo apertius coniiciatur mens sua. l. ab eo, C. quo. & quand. iud. l. ad solutionem, cum gloss. C. de re iudic. Bartoli tamen opinio non probatur ab interpretibus diffuse hanc materiam tractantibus in d. c. intimasti; qui ex litigatorum taciturnitate, etsi decem dies

 lapsi

lapsi non fuerint, existimant appellationem non admitti; cum nulla alia de causa requisitæ sint partes nisi ut contra dicant, si uelint. Innoc. in c. i. de his quæ fi. a ma. par. cap. Panor. in c. uestra, de locat. et Felin. in c. non ne, de præsumpt. Sed ut Bartoli sustineatur opinio, ex interpretibus quidam eam restrinxerunt ad casum, quando iudex super hoc interloqueretur, uel quando constaret uerus partium consensus, uel (ut aiunt) interpretatiuus. Ego, & Bartolum, & dictam interpretationem declarando, existimarem, ipsius sententiam posse locum habere, quando ex partium conflictu, & causæ cognitione iudex suum explanationis actum reuocare non posset. l. iudex posteaquam, & l. Paulus, de re iudic. sed quando ita punctum explanauit, ut eidem iudici explanationis reuocatio permittatur, l. quod iussit, ibiq. not. eod. titu. tunc non puto lapsum x. dierum esse necessarium, sed ex regula taciturnitatem illam consensum efficere, quando contradictio facile fieri potuit, & facta non est. d. l. ab eo, Innoc. in c. quoad consultationem, in fi. de re iudic. Bald. in l. certi condictio, si cert. peta. Poterit item iudex si ei uidebitur, puncto eius opinionem ascribere, ut monuerunt Bart. & Castren. in l. iubemus, C. de appell. Dicimus enim, Si ibi uidebitur, quia non, quicquid iudicis potestati permittitur, (ait Papinianus) iuris necessitati subiicitur. l. non quicquid, de indi. At si maluerit iudex, quid sentiat, puncto apponere, erit certe pro dignitate tua, ac Sapientis utilitate, si breui oratione, cui, ut dicitur, multum inest sapientiæ, eius opinionem rationibus etiam adauxerit.

An debeatur honorarium Sapienti, & a quo. Cap. XI.

HONORARIVM, quod modo salarii, modo sportularum uocabulo nuncupatur, iudici dari, ciuilis lex permittit in §. ne autem, auct. de iudicib. canonica uero prohibet in c. cum ab omni, de uit. & honest. cler. atque approbante consuetudine ciuilis præualuit. Bald. in auct. generaliter,

neraliter, C. de episco. & cler. qua quotidie utimur, non solum pro iudice, sed & pro Sapiente cui causa commissa est. Spec. de assess. §. salarium. Nec forte obiicias quod dicitur in prouerb. Noli uendere sapientiam, & doctrinam, & ad dignitatem iurisconsulti non pertinere, quæstuariã, (ut inquit Budæ. in l. i. de iust. & iur.) iuris prudentiam exercere; cum legalis scientia inæstimabilis res quædam sit. l. i. §. proinde, de uar. & extraord. cognit. Sed potius dic legem, atque inde consuetudinem laboribus, ac summis uigiliis hominum prospexisse. l. i. C. de assess. c. non licet, xi. q. iii. C. caritatem, xii. q. ii. & quamuis Sapiẽs consuleret sine euolutione chartarũ, non tamen cessat uigiliarum ratio, sine quibus Sapientis nomen non fuisset consecutus. ideo tunc etiam honorariũ debetur, Ioann. And. add. Spec. in §. sequitur, in princ. de salar. Boiognin. in repet. auct. habita, num. ccxliii. C. ne fil. pro patr. A quo autem debeatur, dubium uidetur. quod nihilominus dubium tollitur ex distinctione Bartoli in l. si postulauerit, ad leg. Iul. de adult. a Baldo probata in l. iii. C. eodem titu. & Zab. in clem. i. de æta. & qual. Distinctio est huiusmodi. Aut ad actoris, & rei petitionem, aut motu proprio iudex causam committit, & communibus partium impensis consilium habebit, ar. l. iiii. §. i. fini. regund. & l. ex parte, fami. hercisc. Id enim, quod ex se iudex gerit, utriusque litigatoris factum existimatur. l. si ob causam, C. de euict. Aut ab uno tantum ex litigantibus Consilium petitur, & ad ipsum (nisi consuetudo repugnet) Consilii expensæ pertinebunt; quemadmodum in testibus recipiendis statutum est. l. quoniam, C. de testib. Crediderunt alii, si iudex tanquam iurisperitus iudicandi officio fungatur, ipsum teneri ad sumptus; sed si nullam peritiam profiteatur, aut probabile dubium emergat, posse compellere partes ad honorarium erogandum. Ioann. Grass. q. iiii. arbor. iud. cui consequens est, ut si iudex a studii labore abstinere uoluerit, uel condemnandorum odia euitare, ipse suis expensis Consilium requiret. auct. cum glo. ut iudic. non expectat. Sacr. iuss. in princ. glo. in l. i. C. de relat.

at. Balb. Decis. ccxxii. Vnde, si syndici idiotæ sint, & pro ferendis sententiis Consilium exigant, magistratus non tenentur ad sumptus, sed soluere debet ciuitas, quæ tales nacta syndicos necessitatem quoque intulit alieni sumendi consilii, pro eorum supplenda imperitia. Puteus de libell. contra potesta. in syndica. form. cap. an syndicatores. Alii uero dicebant a uicto expensas uictori soluendas esse ex l. properandum, §. sin autem alterutra, C. de iudic. quæ opinio, quamuis lite finita uera esse possit, tamen quia tempore exhibitionis, uel scripturarum, uel Consilii, plerisque in locis, honorarium dari solet, quæstio nostra intelligitur, a quo Sapiens honorarium recipiat. Mihi probatur imprimis distinctio Bartoli, & Baldi, cui iuncta Ioannis Grassi sententia, pleniorem efficiet doctrinam. Si uero contigerit extra domicilium proficisci, Sapiens moderatas etiam a partibus expēsas accipere poterit. l. solent, §. ult. de off. proconsul. l. plebiscito, de off. Præsid. Aliam autem de honorario quæstionem curiosus decisam inueniet in Bartolo in l. præcipimus, uers. sane, & addit. ibi. C. de appellat. & aliam in additio. ad eundem in l. in offerendis, in uer. causis, eod. tit. Pro hoc nobis satis erit, si partes monebimus, ut, non quod minimum poterunt, sed pro dignitate Sapientis, & pro causæ obscuritate honorarium statuant. ar. l. cum plures, §. pen. de administr. tut.

Quæ ad Sapientem spectent in recte consulendo. Cap. XII.

RECEPTIS actis causæ, si Sapiens uult recte consulere, imprimis dabit operam, ut intelligat, quid illud sit de quo consulendum. alioqui (ut inquit Plato in Phedro) nemo potest bene consulere. quod procul dubio faciet si præ oculis habebit, iudicioq. suo subiiciet actionem reo ab actore in iudicio oblatam, intra cuius limites, sicut prudens iudex pronuntiat, ita Sapiens consulit. Bald. in l. ut fundus, comm. diui. & in c. intimasti de appell. perpendetq.

pendetq. rei exceptiones, ac, ut docet Speculat. de requis. conf. in princ. positiones, responsiones, attestationes, ac omnia demum litis acta diligenter perscrutabitur. c. in præsentia, de rennnciat. c. placuit, §. item in criminali, iiii. q. iii. Et ut hæc omnia perficiat, maturus erit, & non festinus in dando consilio, ne parum considerate consulat. c. ponderet, L. distinct. & c. iudicantem, xxx. q. v. & ne periculosam iustitiam pariat, sed ut quietum & cogitatum consilium conscribat; quia repente factum, nullum dicitur ab Hippolyto Marf. in rub. de fideiuss. nu. lxxx. Item prospicere debebit Sapiens ad legis tam communis, quàm municipalis obseruationem l. prospexit, qui, & a quib. l. i. §. is qui nauem, de exerci. l. omnes populi, uulg. derogando communi minus quàm fieri possit. l. si serui uestri, C. de noxa. cum si. quoniam municipum dispositiones strictam assumunt a Quiritum iure interpretationem; quam arctatiuam, & restrictam appellat Bart. in d. l. omnes populi; ueritatem imprimis sequendo, l. cum ita legatum, de cond. & demo. ac ea obseruando, quæ diuturna consuetudo probauit. l. sed ea, de legib. l. i. C. quæ sit long. consue. modo consuetudinem actoris, modo rei, & modo iudicis spectando iuxta glo. in c. illud, xii. distinct. Deficiente uero lege, uel probata consuetudine, ratione imprimis nitatur, quæ eo casu uim legis habet. glo. in c. ex eo, in uer. rationis, de elect. lib. vi. & c. sane, distinct. ix. immo statuta ipsa semper secundum punctum rationis interpretabitur. Bald. in c. i. de constitu. siquidem lex est, quod ratione consistit, & legum auctoritas ab ipsa ratione ducitur. c. consuetudo, distinct. i. Ideo rationale dictum (inquit And. de Isern. in præfat. feudo.) ita mouere debet iudicem, sicut lex scripta. Audiet ne Sapiens ipse allegationes iuris, ut iuste cõsulat? respondet Spec. morem hunc propter lucrum aduocatorum, atque ad exonerationem imperitorum iudicum inuentum esse, in §. nec præmissi, de requis. conf. cum nihil sit uitiosius, quàm non posse peritos per se noscere, quod iustum est, ac eos indigere doctrina, qui aliorum debent

bent esse doctores, auct. de iudic. in princ. & c. conuenien tibus, i. q. vii. unde notarunt quidam iudicem nolentem audire aduocatos partium non facere litem suam, in addit. ad Bald. in l. obseruare, §. proficisci, de offic. procons., & alii probabilem fuisse morem Areopagitarum, apud quos oratoribus non licebat affectus mouere, quibus iudicium animi a ueritatis luce sæpe abducitur; cum nihil sit (ut inquit Cicero in parad.) tam incredibile quod dicendo non fiat probabile, nihil tam horridum quod nõ splendescat oratione. Dicit tamen Ioann. And. in addition. ad Spec. in loco prædicto, consuetudinem bono fino fine inductam, ac præcipue, ut iudicibus seruire uolen tibus, freni intra iustitiæ limites imponantur. l. si quis in ea, C. de custo. reor. l. humanum, C. de legib. Spec. in §. nunc uidendum, de disputa. & ab Italis huiusmodi morẽ seruari: quasi dixerit ipse hanc inualuisse consuetudinem ad explanandas leges, ac probãdas in iure rationes ita pro ficuam, ut errare uideantur aduocati, qui de ea seruanda non curent. Ceterum si alia magis præcipua pro Sapiente desiderentur documenta, ex sequentibus multa colligi po terunt, unde Sapientis animus certiorẽ notitiam assumet.

An consulat Sapiens ex conscientia, uel secundum allegata, & probata. Cap. XIII.

CVM in consulendo quandoque unum nobis ferat pro pria conscientia, & aliud probatæ rei euidens argumentum, quilibet primo aspectu diceret, neminem posse con tra propriam conscientiã cõsulere, seu iudicare. c. i. de re iudic. lib. vi. glo. in l. bonorum, C. qui admitt. Sed ueritas est, ut qui cupit recto iuris tramiti proxime accedere, secundum allegata, & probata eius iudicium disponat. Bart. & Bald. in l. illicitas, §. ueritas, de offic. Præsid. quod & uniuersa scriptorum sententia obtentum est ex Ricar. Innoc. Panor. at ceteris copiose a Felino relatis in c. pastoralis, de offic. deleg. Ratio patet, quia, lex uni-

uersalis

uersalis est, l. i. de legib. singulares uero sunt singulorum conscientiæ, quæ sæpe iuri aduersantur. ideo male agit qui propria nititur conscientia. c. summopere, xi. q. iii. glo. in c. i. de off. ordin. & quia id absque dubio locum habet, quando Sapiens leuibus quibusdam argumentis ductus existimat aliter rem se habere. c. inquisitioni, de sentent. excommun. quid dicetur, si rei conscientiam habet Sapiens indubitatam, & non ex imaginatione conceptã? c. per tuas, ii. de Simon. omissis aliis distinctionibus, quæ ab interpretibus traditæ legi possunt, in d. c. pastoralis, Hostiensis opinionem de iudice a Panor. relatam probandam maxime censeo in Sapiente, cuius Consilium sequi iudex cogitur, ut tali casu Sapiens confugiat ad superiorem, & per consultationem conscientiam suam declaret. c. si quando, de off. deleg. cum enim contra conscientiam consulit, non minus eius conscientiam grauat, quàm si ipse iudicaret. si uero superiori, qui testis ueritatis est, causam declaret, neque ipse consulit, neque tacendo permittit, ut contra conscientiam suam iudicetur. Principis profecto est, non priuati, posse secundum conscientiam iudicare: cuius dictum, licet in propria conscientia fundatũ, uim legis habet. Bart. in l. i. C. ut quæ desun. aduo. Guid. Papæ in Decis. q. xxix. Et regula, quæ in his, quæ facti sunt, intelligitur, magis uera erit in his, quæ ad ius pertinent. ideo Sapiens in consulendo statutum sequitur, licet ei uideatur iniquum, tametsi alias dici soleat, iniqua statuta, iniquas ue consuetudines non ualere, ac eorum uiolatores non puniri. Bald. in l. unica, C. de monop. Bar. in l. omnes, i. C. de decurion. lib. x. & Ang. in §. i. ut null. iud. Nam legem soluere non debet Sapiens, sed ea seruare, quæ statuta sunt. l. i. & iii. ibiq. not. C. de legib. l. sancimus, C. de testam. Valent quidem statuta municipalia, quamuis iniqua, ac dura seruanda sunt. Bart. in l. i. quod quisque iur. & l. prospexit, qui, & a quib. Nec obest Bald. in d. l. unica, quia loquitur in congregationibus artificũ, ac in agentibus monopolium secundum rescriptum, quod ipse interpretatur. l. non solum, §. liberationis, ibiq. no

ta. de liberat. legat. habilia enim præsumimus nos, quæ du bium facere possent; ut scilicet statuta ab his, qui habent potestatem, condita sint, uel nominatim a Principe confirmata fuerint. Bart. in d. l. i. & in l. i. uers. omnia enim, & l. ii. §. unaque, C. de ueter. iur. enuclean. Bartolus itẽ, & Ang. intelliguntur in corruptelis, non in his consuetu dinibus, quas perinde sequimur, ac si ex scripto robur ob tinerent. l. ii. C. quæ sit long. consuet. c. ult. de consuet. Ad Pontificis locum, de re iudic. responderi potest, ut de conscientia intelligatur, quæ a iustitia regatur, ac idcirco in textu uerba, Contra conscientiam, & iustitiam, simul iuncta sunt. glo. in d. c. i. Quod uero notat Accurs. in d. l. bonorum, declaratur a Felino intelligi in uoluntaria iurisdictione, in qua facile conceditur, ut secundum conscientiam iudicetur. Bald. in l. ult. C. de pœn. iudi. qui male iud. Scopus itaque præcipuus Sapientis erit, ut rerum probatarum, statutarumq. uiribus, non conscientiæ sæpe erroneæ innitatur.

An Sapiens in consulendo moueatur iuris rigore, uel æquitate. Cap. XIIII.

INCONSTANS uulgi opinio quandoque putat Sapientem stricto iure moueri, & quandoque ex æquitate ad absoluendum partem ab expensis facile inclinare: quæ cum etiam e diametro in se contraria sint, non omittam quid circa hoc ad Sapientem pertineat. Et ut statim meã opinionem dicam, quam peritiores iudicabunt, existimo illam de rigore conceptam opinionem, nulla se tueri ueritate: quandoquidem ad Sapientem, qui iurisperitus est, spectat æquitatem colere. l. i. de iust. & iur. alioqui cõ tra expressas legum sanctiones consuleret, quibus non stricti iuris, sed æquitatis obseruatio præscribitur. l. placuit, & l. properandum, §. sin autem alterutra, C. de iudic. l. filio præterito, de iniust. rup. irrit. fact. l. in omnibus, iii. de reg. iur. Ratio est in promptu, quia (ut Vlpianus ait) ius est ars boni, & æqui, ac adeo quidem, ut

rigor, qui in ſummum ius incidit, & ab æquitate recedit, ſumma iniuria, ex trito prouerbio, nuncupetur. ideo ex æquitate ipſa ſuperuenienti a rigore receditur. Bald. in l. cum hereditate, de acquir. hered. Vereor itaque, ne potius iniquitas quædam, quàm æquitas ea ſit, qua interdũ homines Sapientis Conſilium recuſant. Dubitant enim ſecundum iuris regulas eſſe contrariam ſententiam ſubituros, ideo uellent iudicem non Sapientis Conſilio, ſed affectibus potius moueri: quod non æquitas, ſed regularum, atque principiorum omnium deſtructio eſt. Bald. in d. l. i. Nihil enim (ait Paulus Manutius de legib.) ſine iure perpetuum eſt. ius autem ipſum nihil aliud eſt, quàm bene uiuendi norma, legibus tradita, atque præſcripta. Et non immerito Caſtrenſis in d. l. i. inuehitur contra idiotas mercatores, qui licet nunquam iuri ciuili operam dederint, arduam iudicandi prouinciam aſſumunt, ac faciẽtes ſe (ut ait) magiſtros æquitatis iniquiſsimas ſententias ferunt, affectibus potius, quàm ratione ſe mouentes. Sed quid obſecro eſt æquitas, niſi (ut ait eodẽ loco Bal.) applicatio animi ad directum iudicium, intellectu in ſubſtantia non errante, nec in facti circumſtantiis? & alio ſic etiam modo deſcribitur. Aequitas eſt recta animi conſtitutio, tranquillaq. affectio, omni indignatione uacans. in d. l. i. iurant ne forte iudices rigorem ſequi? non iurant quidem, niſi æquitatem ſeruare. auct. iuſiurand. quod præſtatur ab his. §. & æquus. Ratio eſt, quia æquitas eſt iuſtitiæ propria, ut in Cice. lib. 1. off. legitur, his uerbis. Difficile eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria. unde ait idem Cicero in Topi. Ius ciuile eſt æquitas conſtituta iis, qui eiuſdem ſunt ciuitatis ad res ſuas obtinendas. quæ ſane æquitatis religio magis intellectu percipi, quàm elocutione exprimi poteſt. l. quæſitum, de teſtib. l. quo enim, §. i. rem rat. haber. licet autem a ſcriptoribus declaretur, rigorẽ eſſe ſeruandum, quando ſcriptus eſt, & æquitatis non eſt facta mentio, l. i. ibiq. nota. C. de legib. uel quando æquitas in genere reperitur ſcripta, rigor autẽ in ſpecie. Bart.

in l. nam hoc natura, de condit. indebit. tamen ille ſic ab interpretibus appellatus rigor non eſt illud ſummum ius, ſed lex potius ſumma ratione, ac ipſa æquitate conſtituta, ex eoq. nil aliud ſignificatur, niſi quòd ex mente noſtra æquitatem metiri non debeamus, ſed ut ſequamur ea, quæ a maioribus noſtris conſtituta ſunt, in illis uero caſibus, qui nominatim ſcripta lege non comprehenduntur, & qui iudicis arbitrio relinquuntur, ex bono, & æquo conſulamus, qualitate rerum, ac temporum conſiderata; ut ex facti circumſtantiis, atque emergentibus diuerſitas iudiciorum fiat. l. iuſiurandum, & ad pecunias, §. pen. de iureiur. l. in fundo, de rei uend. de ſimilibus ad ſimilia procedendo, ac ſcripturas interpretando. l. non poſſunt, de legib. c. ult. diſtinct. xxix. quæ ſic intellecta æquitas uiua uox iuris ſcripti appellatur. l. nam & ipſum, de iuſt. & iur. l. i. de fer. Alia quoque opinio uana eſt, ut Sapiens, qui nihil niſi iure conſulit, falſam æquitatis umbram ſequatur, & ad abſoluendum partem ab expenſis facile inclinet. Vnde credimus fluxiſſe errorem, ſi a iure temere litigantibus expēſarum pœna ſumma ratione imponitur? d. §. ſin autem alterutra: ex eo fluxiſſe arbitror, quia ex ipſius iuris diſpoſitionibus, partes frequentius ab ſoluuntur ab expenſis, quàm condemnantur. Nam ſi habuerit uictus iuſtam cauſam litigandi, ut ſæpe accidit, Sapiens expenſarum abſolutionem conſulit. Bart. in l. qui inſolidum, §. etiam, de leg. ii. & idem eſt, ſi uidet Sapiēs doctoris opinionem contra id, quod ipſe uerius putat. Guid. Papæ plene in Decif. q. cclxxvii. uel quando propoſita difficultas dubia eſt, ut hinc inde pugnent ſcriptorum ſententiæ. Ang. in l. properandum, §. ſi autem alterutra, C. de iudic. & Panor. in c. finem, de dol. & contum. ubi Imola & ceteri pleroſque alios caſus ſignificarunt, quibus iudicantis, uel Sapientis animus ad abſolutionem moueri facile poteſt. Sed liquere nunc ſatis erit, Sapientem noſtrum, quouis in actu, non niſi iuris, & æquitatis ratione habita Conſilium daturum.

Quomodo

Quomodo Sapiens iurisperiti Consilio pro allegatione producto moueatur. Cap. XV.

STVDENT quandoque litigantes a præclaris iureconsultis pro iuribus suis suis responsa conscribi, ut illorum auctoritate aptius Sapientis animum moueant. nulla tamen horum responsorum ratio a Sapiente habēda uidetur, cũ nec uideantur iure posse fieri. nam si alteri non potest subueniri, nisi lædatur alter, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. c.denique, xiiii. q.v. facitq. l. non debet, ii. de reg. iur. ideo annotauit Zabar. non esse in alicuius damnum cuiquam consulendum, in clem. i. sub uer. quibus, de priuileg. & excessib. Sed ea ratio corruit, si consideretur, quòd is, qui cousulit quod rectum putat, neminem lædit. Quid enim honestius esse potest, aut libero homine dignius, quàm consulere, ut ius suum alicui tribuatur? Nihil profecto (inquit Cicero in lib. 1. de legib.) præstabilius est, quàm plane intelligi nos ad iustitiam esse natos. quinimmo iuris prudens læderet eum, qui Consilium petit, si ipsum, cum posset, non adiuuaret. Nam is (idem ait lib. 1. off.) uidetur quasi manus uiolentas inferre socio, qui non defendit, nec obsistit si potest iniuriæ, & si altero iniustitiæ genere uacat, alterum incurrit: modo non consulat, quando in proposita sibi specie, quid iuris esset, hæsitaret. Nam bene (ait idem eodem loco) præcipiunt, qui uetant quicquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum. æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat iniuriæ. Et ueritatem esse iudico, ut non moueatur Sapiens auctoritate eius qui consuluit. quia munus animi est (ut idem scribit lib. III. Tuscul.) ratione bene uti: & Sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. ideo qui rationis participes sunt, ab ea se duci sinunt. c. ueritatem, viii. distinct. c. porro, lxxxiiii. distinct. cum Bal. in l. si irruptione, fini. regund. quandoquidem, quilibet

Sapiens

Sapiens (ut M. filium Cicero ipse docuit) in rebus ipsis utitur iudicio suo, & rationis, non auctoritatis rationem habebit, ut in Bartolo & Bal. in l. nemo, C. de sent. & inter.omn.iudic.ideo Celsus non dubitauit recedere ab opinione patris, cũ aliud pater, aliud naturalis æquitas, & ratio suaderent. l. iii. §. si quis quasi, de cond. caus. dat. quare nõ errabit iurisperitus, si huiuscemodi Consilium rationibus, & iuribus fulciat, ut aliqua ei adhibeatur fides. Bolog. in repeti. auct. habita, nu. cxliiii. C. ne fil. pro patr. Et quãuis iureconsulti quãdoque Aristotelis, & quandoque Hippocratis, aliorumq́. auctoritate nitantur, l. si pater, de solution. l. septimo mense, de stat. homin. l. proponebatur, de iudic. cum si. id quidem faciunt, quando res diuersæ facultatis in dubium incidit; ut cum in mulieris partu ad medicos, in aliis ad alios peritos recurrimus. c. significasti, ii. de homic. Bald. in l. nemini, C. de aduoc. diuers. iudic. alioqui paruipenditur sola auctoritatis ratio. l. in tantum, in fi. cum l. seq. de rer. diuis. cum probabilem fateantur, omnes doctoris auctoritatem & non necessariam, Bar. in l. i. si cert. pet. glo. in c. i. in uer. interpretatus, de postula. præla. quæ, nisi legibus, bonisq́. rationibus muniatur, etiam si Innocentii esset, uel Auditorum de Rota (quorum maxima est auctoritas) nil mouebit Sapientem uirum. Deci. in l. illam, C. de collation. Dominic. in c. duobus, cum gl. in uer. præsentauerit, de rescript. lib. vi. Non arbitror tamen omnino auctoritatem esse negligendam ambiguitate quæstionis, seu qualitate facti inspecta, rationum, decisionumq́. angustia considerata. l. i. ibiq́. Bald. de off. quæsto. Matthes. de elect. uer. opin. Ang. in l. si idem, de iurisd. omn. iud. Et quia is, qui consulit, testis iuris appellatur, ut nota. a recentioribus in l. ii. uer. testabantur, de orig. iur. ne falsis allegationibus Sapiens circumueniatur, Consilium hoc alteri parti exhibebit. Ias. & reliqui post eum scriptores plene in l. i. §. editionis, in fi. de edend. quicquid dixerit Romanus sing. cclxii. temere adducens Innocentium in c. per tuas, de testib. Nõ enim uideo cur in iudicio quicquam abscõditum esse de-

beat,

beat, et præſertim de allegationibus iuris, quæ de actis ſunt. c. dudũ, de elect. Spec. in §. porro, uerſ. nota quod acta inter, de diſputa. & allega. Ex quibus non ſolum patebit, quomodo Sapiens iuriſperiti conſilio ſibi pro iure partis exhibito moueatur, ſed an conſilium ipſum aduerſæ parti exhibendum ſit.

Verba in commiſſione, Conſulatur quid iuris, quid comprehendant, & quid ſi poſitionibus non fuerit reſponſum. Cap. XVI.

CLAVSVLA, Quid iuris, qua uſi ſunt quandoque iuriſconſulti, ut in l. qui quadringenta, & l. ſi is, qui quadringenta, ad l. falcid. apponi ſæpe ſolet commiſsioni, cum Sapienti ita cauſa committitur, ut conſulat quid iuris. ex qua etiam interdum in dubitationem adducimur, an uideatur ſuper meritis tantum, uel etiam ſuper ordine factam fuiſſe commiſsionem; quia ordo ius non tribuit, ſed eo non ſeruato actor in expenſis condemnatur. l. cum quem temere, de iudic. nota. in l. properandum, §. & ſi quidem, C. eod. Angelus tamen, & Deci. exſtimarunt, huiuſmodi uerba non ſolum merita, ſed & ordinem, & acceſſoria comprehendere, in l. eius qui, per illum tex. ſi cert. peta. ex mente Baldi in c. i. in princ. de controuerſ. inueſtit. Eodem pertinent notata in l. lecta, eod. titu. & in c. iii. de conſuet. & per eundem Ang. in l. quære batur, in princ. de teſta. milit. & Alex. in l. Titia diuortium, ſolu. matr. Si enim indefinita clauſula æquipollet uniuerſali, conſequens eſt ut in ea omnia comprehendantur. l. ſi pluribus, de leg. ii. l. ſi neceſſarias, §. ſi annua, de pign. act. confirmantur ſupradicta ex eo, quod in argumentum trahi poteſt ex c. præterea, de offic. deleg. ex c. cum olim, de arbitr. & c. cum in ueteri, de electio. cum ſi. Siq. committentium animum ſpectamu, s nihil huic ſententiæ repugnabit. uerisimilis eſt quidem mens, ut quando

do ordo, & merita, principale, & accessoria in iudicio deducta sunt, eadem etiam omnia committantur. l. terminato, ibiq. nota. c. de fruct. & lit. expens. Ang. & Imo. in l. cum stipulatus sim a Proculo, §. cum uenderet, de uerb. obligat. Idem Imo. in d. l. qui quadringenta. Censeo tamen, si ab obseruatione iudicii, uel apertis reus petiit se absolui, non uideri Sapientem diuersa consuluisse, si super alterutro responderit. Bart. in l. iusiurandum, & ad pecunias, §. cum res, de iureiur. Deci. Rotæ lxix. in no. Sapiens enim secundum ea, quæ a litigantibus petita sunt, consulere debet instar iudicis, & instructionem accipere ex notatis in l. non potest, de iudic. & in c. uenerabili, super gl. in uer. uices, de offi. deleg. Putoq. Sapientem, omissis meritis, super ordine tantum posse consulere, uel e contra l. etiam, §. ex causa, cum ibi nota. de minor. Bald. in l. in hoc iudicio, famil. herciscund. & ualebit sententia etiam, si de fructibus nil dictum sit, Innoc. in c. cum inter, de re iudic. uel si expensarum condemnatio omissa fuerit. Bar. in d. l. terminato: nisi actum sit, ut super omnibus consulatur. Deci. in d. l. eius qui. quo casu super omnibus esset a Sapiente consulendum, ar. l. tamen, de arbitr. & c. secundo requiris, de appellat. Aduertat autem Sapiens, leuius eum peccare, qui aliquid de commissis omittit, quàm qui ultra commissa consulit. Ias. in l. siquis arbitratu, col. v. de uerb. oblig. Maria. Soci. iun. cons. lxiii. lib. I. Ex hac tamen clausula, uel etiam magis præcipua non poterit Sapiens, qui uidet positionibus non fuisse responsum, consulere ut pronuntientur posititiones pro confessis, & successiue reus condemnetur, iuxta c. ii. de confess. lib. vi. & §. si autem abesse, in auct. ut litig. iure. nisi in commissione causæ expresse dictum sit, An haberi debeat contumax pro confesso. Bald. in l. i. C. de pœn. iud. qui male iud. cum ad Sapientē non pertineat consulere, nisi secundum statum causæ, in quo commissionis tempore reperitur. l. antepen. c. de dilat. l. i. §. quæsitum, de appell. Recte itaque facient litigatores, si super principali, accessoriis, ordine, & actis omnibus

bus

bus expeditam commiſsionem faciendam curabunt; & rectius quidem Sapiens, ſi ſuper omnibus conſulat. Bald. in d. c. i. Imol. in l. ſi fundum ſub conditione, §. ſtichum, de leg. i. & in d. l. Titia.

An Sapiens in puncto, Vtrum captus die feriata ſit recte captus, ad temporis ſolemnitatem, uel ad capturæ cauſam reſpiciat. Cap. XVII.

PVNCTVS, Vtrum captus die feriata ſit recte captus, dubius eſt, & memorabilis extat locus, ubi quæritur an Sapiens ad temporis ſolemnitatem, uel ad cauſam capturæ ſpectare debeat, in l. lecta, ſi cert. peta. iuriſconſulti enim uerborum proprietatis ſtudioſiſsimi ſunt, inquit Quintilianus lib. v. cap. xiiii. Et putat Bart. cauſam capturæ a Sapiente ſpectandam: quoniam dictio, Recte, ſecundum eius propriam ſignificationem, cauſam ſignificat: Rite, autem ſolemnitatem, l. ii. cum glo. de inoff. teſtam. §. mariti, Inſtitut. de nupt. quam differentiam probauit Panor. in c. i. §. una uero, in iiii. nota. de ſumm. trinit. & in c. quoniam contra, col. xi. de probat. Vnde conſuluit Bart. ut conſtruatur punctus, An recte riteq. captus ſit: quoniam dictio, Recte, cauſam capturæ, & dictio, Rite, ſolemnitatem comprehendet. l. non putauit, §. non quæ uis, cum glo. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. glo. in l. ſed & ſi lege, §. ſcire, de petit. hered. Patet etiam uerba, Iuſte poſsidere, ab interpretibus declarari. i. rite, ac iudiciario ordine ſeruato, licet non recte quoad ius litigatoris, in l. iuſte, de acquir. poſſeſſ. & quamuis, cum dicitur, Recte dari quindecim mutuata, intelligatur congruo loco, & tempore, in d. l. lecta, cum glo. ſoluit tamen Bart. dictionem illam improprie accipi in Papiniani cautione a Paulo explanata. Huic ſententiæ adſtipulantur Baldus & Ang. ille in d. l. lecta, hic in l. i. paulo poſt princ. de ædilic. edict. in de annotantes Sapientis eſſe, commiſsionem non excedere. l. per ſalutem, de iureiur. l. diligenter, manda. quod

optime cōprobatur a Maria. Socin. iuni. cons. lxiii. lib. 1. Quidam tamen (ut dicit Alex. in l. lecta) contrarium existimarunt, quia legislatores his uocabulis, Rite, & Recte, promiscue utuntur, ut in l. lecta, aliisque. ll. Nam loci, & temporis oportunitas, stipulationis pars est. l. i. §. diem, de eden. & plus, & minus, loco, & tempore dicitur solui, §. plus, Instit. de action. non erit igitur nouū, ut dictio, Recte, diei etiam solemnitatem respiciat, sicut dictio, Rite, quandoque iustitiam causam ue significat. Aret. in c. licet, de foro comp. quæ sententia, referente Alex. Butrigarii fuit, atque eam probarunt uti magis cōmittentium menti congruentem, Saly. Alber. & Fulgos. in l. lecta, ac nos æquiorem arbitramur, tametsi Alex. contra cum Bartolo sentiat. Colligo mentem illorum, qui punctum explanarunt, tum ex communi quodam loquendi usu, cui multum tribuimus, l. librorum, §. quid tamen Cassius, de leg. iii. tum ex uerbis, Die feriata, quæ simplicem ordinem respiciunt, l. ult. C. de feri. quinimmo Lucas de penna censuit, Rite, & Recte, in iure idem significare, in l. iii. C. de bon. uaca. lib. x. probaturq. ex l. generaliter, sin autem non, C. de reb. cred. sed non potest saltem negari harum uocum significationem in iure confundi, atque improprie accipi, ex eaq. multoties ordinem denotari. l. dubium, C. de repud. l. iii. in princ. de lib. & posth. & d. l. lecta. Vbi constanter Decius (quod magis est) pluribus nixus exemplis existimauit, dictionē, Recte, ordinem proprie significare, putans absurdum esse dicere, in tot iuribus improprie accipi, ut etiam in l. imperatores, in fi. de decurio. & in l. i. C. de usur. Quid est igitur, cur tam rigorosam Bartoli & sequaciū rationem potius admittentes ab ipsa committentium mente, ac rei ueritate discedamus? cum præsertim ea dictio, utranque eodem tempore significationem habere possit. d. l. i. in princ. de ædilic. edict. l. recte, de uerb. signif. Dubitationis tamen tollendæ causa non aspernabimur utile consilium Bartoli, & in puncti constructione utranque dictionem apponemus.

Quando

Quando Sapienti, in quæstione dubitanti, adiungatur socius; & unde socius honorarium habeat. Cap. XVIII.

EXAMINATA puncti difficultate, dubitat quandoque Sapiens, quid in quæstione consulat, atque ideo petit sibi socium adiungi. socius uero non uidetur denegandus, siquidem lex iustas deliberationes libenter cõcedit, l. i. §. largius, de successor. edict. cum si. atque ea forte ratione prodierunt tituli de iure deliberandi, & in Pande. & Cod. Bart. de cons. haben. uers. quinto. alioqui cogeretur Sapiens periurium anceps subire; quod exemplo perniciosissimũ esset. l. Marcellus, de action. rer. amot. l. uideamus, de in litem iuran. Et si arbitri, qui non coguntur arbitrari, negotio suscepto dissentiunt, consocius eligitur. l. iii. §. tametsi, iuncta l. item si unus, §. principaliter, de arbitr. quanto magis socius erit concedendus ei, qui (ut supra cap. vii. diximus) a principio astringi potest? iudicibus enim permittitur, ut cum dubitent referant. l. i. & ult. C. de relat. ac magistratibus, ut Præsides consulant, l. eum quem temere, de iudic. et idem Auditoribus Rotæ permissum est. Decis. Rotæ, DCCXXII. in antiq. et DCCLX. Et licet Sapiens publice constituatur, & ex se iurisperitiam habere debeat, (quod hac in re dubium aliquod facere uidetur, ex nota. a Bald. in l. ii. C. de sent. ex peri. recit. & in l. ii. quod quisque iur.) si tamen Sapientis animus in re dubia agitetur, socius non denegabitur; sicut nec iudici ipsi dubitanti denegari potest, supra lib. I. cap. XX. Verum si uereatur iudex, ne Sapiens dubitare fingat, potest pluribus modis procedere, quos docet Spec. de requis. cons. in princ. & saltem ad purgandam conscientiam iusiurandum deferre. l. ult. uers. sane cum glo. C. de his qui ad eccl. confug. Ang. cons. CXCVII. quia iusiurandum est certa ueritatis indagatio, & in occultis quædam spiritualis tortura. Innoc. in c. et si Christus, de iureiur. Socin. cons. ccliii. uers. secundo etiam,

in fin.lib.11. & cogetur etiam hoc casu Sapiens receptum honorarium socio communicare, ex doctrina Speculatoris de requis. cons. in princ. et in §. salarium, uers.quid si, de assess. ne scilicet Sapiens dubitare fingens ut partium indignationem non incurrat, socium ad sui exonerationem requirat: quod summopere iura damnant. c. pastoralis, in princ. de off. deleg.Innoc.& Bald. in c. si pro debilitate, eod. titu. quam quidem rationem satis debilem existimo, cum & pro Sapiente ex traditis supra lib. 1.in primis capitib. et pro iureiurando fieri debeat omnis fauorabilis præsumptio. §. item si quis postulante, Instit. de action.Alia itaque ratione in Sapiente dubitante,cum Spec. sentio; quæ est, quòd in materia expensarum uniuersalis est regula, personæ requirentis esse rationem habendam. l. Prætor ait, in fi. de eden. Bart. in l. Prætor ait, §. defendi, ex quib. caus. in poss. eat. Zabar. in clem. i.de æta. & qualit.In sapientibus uero dissentientibus, de quibus loquitur Spec. in locis citatis, cogor ab ipso Speculatore dissentire. debilis est enim ratio, Sapientes posse discordiam fingere: & nullam uideo rationem, quare honorarium tertio communicare debeant. laborarunt enim in indaganda rei ueritate, uterque pro suo iudicio deliberauit, ac per eorum aliquem non stetit, quin Consilium detur, licet (ut dicimus) sua cuique stet sententia. quo modo ergo debito honorario fraudari poterunt? ar.l. diẽ functo, de off. ass. Hic etiam, si quis ambigat, quis prior inter Sapientes in communicando Cõsilio loqui debeat, admoneri potest, licet id fortasse parui referat, a Spec.in §. iam nunc uidendum,uers. porro suæ partis,de aduocat. & a Matth. Afflict. Decis. i. Neapol.

An terminus ad consulendum currat de momento ad momentum, prorogariq. possit. Cap. XIX.

QVAESTIONIS esse potest, quo modo currat terminus ad consulendum Sapienti præfixus: quæ paucis sic omnino

omnino solui poterit. Si enim, a, uel, ab, termino apposita est, tunc dies termini non computatur, quia, a, &c, ab separationem significant. l. datio, §. ult. ibique not. de action. empt. Si uero inserta sit dictio, Hinc, temporis momentum consideratur, sicut & in dictione, Tunc, nota. in l. i. si quis caut. l. iiii. de cond. & demonstr. siquidem legalis dilatio qualibet hora incohari potest. l. iii. §. minorem, de minor. quod item uerum est, (ut non nulli sensērunt) si simpliciter xx. dierum spatium indultum sit. licet alii quidam contrarium, & forsan melius censuerint; ut adnotauit Spec. in §. uiso, circa fi. de citat. et Bald. in d. l. i. quod & locum habet in dictione, Ex, quæ idem efficit ac si, a, uel ab, dictum fuisset. l. mariti lenocinium, §. sex mensium, ad leg. Iul. de adulter. ex quo igitur legi nostræ Patauinæ littera, a, inserta est, exclusiue lex ipsa intelligitur, ex locis citatis atque ex glo. in c. statutum, de præbend. lib. vi. & Archid. in c. i. col. vii. de elect. eod. lib. quod uniuersæ consuetudinis, ac præsertim prouinciæ Dalphinalis probauit auctoritas. Guid. Pap. in Decis. q. cclxx. atque hæc frequentiora sunt, alia curiosus alibi inueniet. Illud tantum dicemus, & Sapientem ultima die termini Consilium exhibere posse, ex l. i. §. si intra, de success. edict. In hac autem temporis extremitate prorogant quandoque litigantes præfixum terminum, licet iure (ut opinor) non possint: quia terminus ille instantiæ naturam sapit. Bald. in l. quod si nolit, §. ult. de ædilic. edict. Alex. cons. xxiiii. lib. IIII. huiusmodi sane tempora iure publico præfiguntur, ut quandoque sit litium finis; cui renuntiare nemo potest, l. properandum, C. de iudic. l. ius publicum, de pact. l. ii. §. sed quia, C. de iuram. calum. suspendetur tamen cursus temporis ex quolibet iusto impedimento. auct. si tamen, & l. ult. §. illud, C. de temporib. appella. clemen. quàm diu, de appella. quo fit, ut legem nostræ ciuitatis interlocutionis pronuntiationem quinque dierum spatio includentem, in Vicario Prætoris multitudine negotiorum impedito non obseruemus; & iuri ualde consentaneum est. l. ii. C. de pedan. iudicib.

dicib. Corset. late sing. incip. si iudex impeditus. sed ut plurimum, elapso legali termino, restitutionis uia proceditur, ita docente glo. in l. senatusconsulto, de off. præsid. & in l. ii. §. pen. de iudic. & nos obliquum quoddam litterarum Veneti magistratus suffragiũ usurpamus: quod a communi iure non abhorret. Nicol. Boer. prolixe in Decis. q. ccxlvii. tametsi in facto Cõsilii Sapientis talis apud nos inualuerit consuetudo, ut semper, & ignorante quoque iudice, de cuius nunc maiori interesse agitur, quàm in casu l. ii. §. i. de iudic. simplex a litigantibus fiat prorogatio. Caueat autem Sapiens, ne ob eius culpam statutus labatur terminus, et ne litigantes Sapientis Consilium, quod sibi ad celeriorem, commodioremq́. expeditionem ascifcunt, ex diuturnitate longe damnosum fuisse conquerantur.

Quo modo construatur a Sapiente Consilium, & an in eo requirantur iurium rationum ue allegationes. Cap. xx.

PRO constructione Consilii Spec. notat sufficere, si in Consilio dicatur, consulo exceptionem non admittendam, uel talem absoluendum, & c. in uers. porro auditis, de requis. consil. Hæc forma bona est, sed plenior uidetur illa, qua nostrates Sapientes uti consueuerunt, quæ talis est; Consulo partes iudicis esse in pronuntiando reum absoluendũ esse, & ita eum absoluat. In illis enim uerbis, Partes iudicis, sumpta est ex l. uerum. §. ex facto, de minor. & l. Titia, solu. matr. ut ibidem obseruant Ang. Imol. & Alex. uerba autem, Et ita eum absoluat, sunt (ut arbitror) addita, ut tollatur dubium, an si dixerit iudex, Pronuntiatio ut in Consilio, ualeat sententia uti definitiua, cuius erit idoneus locus libro sequenti. Putat etiam Spec. necesse non esse, ut Sapiens rationes in Consilio exprimat, quare ita consulat: quod & notari uidetur ab eodẽ in §. qualiter, uers. uerum, de senten. Non enim solent iurisperiti iudicibus consulentes, rationes quibus mouẽ-

tu

tur, exprimere, dicebat Ioann. And. referente Panor. in c. ſicut, in fi. de re iudica. quod tamen obſeruari non uidit Panor. & contra ſentit ea ratione, quia cum non cogatur iudex ſequi Conſilium, Bart. in l. i. §. ſi plures, de exercito. c. ſi pro debilitate, de offi. delega. rationibus ſuadendus eſt, ut Conſilium nõ negligat. ſed Aretinus ex mente Bartho. Beluiſ. Ioannis And. ſententiam præfert, propter tanti uiri excellentiam, ac auctoritatem, ut refert Antonius Franc. de Doctorib. ibi addens Panormitano, dicens etiã ita a Mediolanenſibus iuriſperitis obſeruari, cuius dubii etiam meminit copioſe Feli. in d. c. ſicut. Ego Ioannis And. ſententiæ libentius accedo, ut, ſi Conſilium etiam abſque iurium, rationum ue expreſsione emanauerit, nõ improbetur, ſed ſententiã ex eo latam quoad poteſt tueamur, ex d. c. ſicut, & nota. a Butrio ibi, & ab Imol. in l. ſi is ad quem, de acquir. hered. Ratio enim, ut iudex rationibus ſuadeatur, recte intuenti non concludit. Nam, licet bonum ſit rationibus iudicem in opinionem noſtram adducere, non tamen ſequitur id eſſe neceſſarium, ar. c. denique, xxi. diſtinct. & c. in nouo, xxii. q. i. eoq́. magis quando iudex cogitur ſequi Conſilium, uel cum conſultor deciſiue loquitur, ut erudite dixit Bolognin. in repetit. auct. habita, nu. clxiii. C. ne fil. pro patr. & tradit Socin. iunior conſ. cxxxiiii. lib. i. & lxxxii. lib. ii. Seruant tamen noſtrates Sapientes, licet aſtricti non ſint, allegandi morem, & rationes, ac leges exprimunt, quibus mouentur ad ita conſulendum, inſerentes etiam interpretum auctoritates, quando maxime lex deficit, uel eſt obſcura, ex nota. a Bar. in l. ii. C. de pœn. iudic. qui male iudic. & Barbat. conſ. xxxvi. prope fin. uerſ. item ſatis uidetur, lib. ii. ac iuridice quidem id faciunt, quandoquidem aliquis non temere exiſtimauerit, ſi Bartolus, Baldus, ac huiuſmodi ſcholæ uiri antiquorũ iureconſultorũ tempore floruiſſent, eorum ſententias non minus ponderis, & exiſtimationis habituras fuiſſe ob iudicii prudentiam, quàm reſponſa Pauli, Vlpiani, Sceuolæ, & reliquorum. iccirco frequentiori eorum ſententiæ perinde tribuimus,

mus, ac si esset lex, nota. in d. l. ii. Corn. cons. clxxxvi. in princ. lib. iii. Sylu. nuptia. in princ. Ab hoc ego more, Sapientis etiam (ut fateri necesse est) dignitati congruo, non facile discederem, uel ob hanc præcipue rationem, ut litigantes, qui Sapientis, quàm iudicis ordinarii iudiciũ maluerunt, sibi satis de iure factum intelligant; desinantq. suspicari, illam iurium omissionem uel imperitiæ, negligentiæ ue specimen, uel iniqui forte affectus uelum quoddam fuisse, & præsertim in causa appellationis, in qua nimis quodam modo iniuriosum foret, ut Sapiens in appellatione assumptus ad corrigendum primi Sapientis Consilium iuxta l. i. in. princ. de appell. simpliciter consuleret, declarari debere, Bene appellatum, & male iudicatum; nulla reddita ratione Cõsilii sui, maxime si prior Sapiens iura in Consilio suo deduxisset, ut uidetur sentire glo. in uer. exprimantur, ibi, in causa uero appellationis, d. c. sicut, de re iud. uel quando Sapienti a communi doctorum sententia, ita certa ratione id postulante, quicquam deflectere contingit. ad quæ faciunt relata a Socin. in Fallen. ccxxiiii. & a Ioann. Pet. Ferrar. in sua practi. in forma definitiuæ sententiæ, in uer. relaxandum, in fi. Atque hæc, nec pauca præterea, non inscite in hanc sententiam memini me adnotasse ex eruditissima allegatione Francisci Morandi Veronensis, quem ego uirum ob insingem quandam animi, ac doctrinæ præstantiam mirifice colere, atque obseruare iamdudum cogor. ea sane usum magna omnium commendatione, dum locum obtineret assessoris, ferunt. cum enim ab hac egregia consuetudine non nulli, qui dignitate potiuntur consulendi, graui eorum querela longe discederent, cõtra quos iudicabatur, deterruit eos protinus ab instituto accurata Morandi oratio, cum tamen ita moderate, itaq. apte utendum allegationibus moneret, ne committeretur, in quo peccare multos constat, ut allegationum aliena a proposito multitudo tenebras offunderet ueritati, quam illustrari Sapientum doctrina, & ingenio æquum erat.

An Sapiens arguat ad partes, & clausulam, Saluo ſaniori iudicio, ſimilem ue Conſilio inſerat. Cap. XXI.

Si damus conſuetudinem proxime traditam, ex qua rationes in Conſilio exprimẽdæ ſint, recte quidem faciet Sapiens, licet nullo iure cogatur, arguere ad partes in Conſilio: exemplo Vlpiani, Papiniani, & Celſi, in quibuſdam eorum reſponſis. l. iii. §. ii. de minor. l. heredes mei, §. cum ita, ad Trebellian. & l. quinquaginta, de probation. Nam ſi quis pro utraque parte arguat, rem faciliorem reddit, ac ueritas clarius in lucem prodit; quæ utilitas extollitur a Panor. in c. quærenti, de offic. deleg. & a Curt. ſeni. in conſ. lvi. uerſ. his præmiſsis, auctoritate ſummi Pontificis pluribus in locis, ac inter cetera in c. capellanus, de feri. & in c. litteras, de reſtitut. ſpoliat. uidemusq́. nos morem hunc a iuris utriuſque prudentibus ſæpiſsime obſeruatum, & quotidie obſeruari. non placet tamen mihi quorundam uerboſitas, & abſurda rerum cumulatio, cum ad Sapientem pertineat in primis breuitati cõſulere. Areti. in con. xlii. lxvii. lxxvi. lxxxvii. & ciiii. Socin. iuni. conſ. xciiii. lib. 1. Extat etiam clauſula, Saluo ſaniori Conſilio, uel Sine præiudicio ueritatis, quam, recte faciet Sapiens, ſi Conſilio inſerat, a qua quidem nullus ſane mentis uir ſe abſtinet; cum ad modeſtiæ regulam multa iuriſperiti maxime reducant. nam ſapientiam iactare, ſumma eſt inſipientia, & difficillimam ſui ipſius cognitionem grauiſsimi clamitant philoſophi. Quare Bart. notat huiuſce clauſulæ appoſitionem a pleriſque obſeruari in l. Claudius, qui potior. in pign. habe. facit Bald. in l. ſi infanti, in fin. C. de iure delib. ubi, & iuriſconſultus Paulus de iure reſpondendo dixerit, Vt opinor. cuius exemplo, & ptæſtantiſsimi iuris interpretes ea, ſimili ue clauſula uſi ſunt, Bald. in quæſt. de ſciſmat. in princ. Guid. Papæ in Deciſ. q. ccciii. cum ſi. & præſertim in re dubia, in qua affirmare ſic eſſe inſipientis eſt; quod tamen locum

habebit in Conſilio potius auctoritatis, quàm neceſsitatis. fruſtra enim, ac temere id fieret, ſi ex municipii lege iudex ſequi Conſilium cogeretur. Bologn. in repet. auct. habita, num. clxiii. C. ne fil. pro patr. Poterit item addi clauſula in fine Conſilii, qua ſæpe utebatur Scæuola, Secundum ea quæ proponuntur, ex qua tum Sapientis modeſtia omnibus innoteſcet, tum lector docilis efficietur, ita ut non facile Conſilium damnet, niſi prius perſonarũ, & rerum qualitatem animaduerterit. Bald. in l. ult. C. de obſeq. patr. præſtan. & in l. ult. titu. ſequen. cum ex punctorum diuerſitate diuerſum etiam reddatur Conſilium, ac ex modica facti mutatione totum ius immutetur. Bal. conſ. xii. lib. II. Deci. in l. precibus, C. de impub. ex qualitatibus enim, quæ ſingulis factis quotidie accidunt, iuris etiam diſpoſitionem uariari neceſſe eſt. Bart. in l. ult. in princ. quod met. cau. Panor. in c. is qui fidem, in fi. de ſponſa. cum & leges ex ratione, qua conditæ ſunt, quandoque reſtringantur, & quandoque generaliter obſeruari debeant: quod ex perſona, re, qualitate, quantitate, loco, tempore, bono, malo ue, ac iuſta excuſatione dignoſci poteſt; ut declarat Alciat. lib. I. de uerb. ſignif. licet hæc etiam facile omitti poſsit clauſula, quæ tacite ineſt, quia omnis conſultatio ad interrogata refertur. l. Aurelius, §. ſticho, de lib. lega. Bald. in rub. an ſeruu. ex fact. ſuo.

An ſubſcriptione, & ſigillo muniatur Conſilium. Cap. XXII.

GENERALIS adeo, & frequens inualuit conſuetudo Sapientis ſubſcriptionem requirens, ut dixerit Caſtrẽſis Conſilium iuriſperiti etiam manu ſua ſcriptum aucten ticum non cenſeri, ſi ſubſcriptione careat, in l. cum antiquitas, in fin. C. de teſtam. ſicut nec Tabellionis inſtrumentum in uim publicæ ſcripturæ ualet, niſi ſubſcriptum fuerit, auct. de Tabellion. in princ. Ratio eſſe poteſt, quia ſubſcriptio nil aliud eſt, quàm firmæ uoluntatis teſtimo-

nium.

nium. Bart. in l. nuda ratio, de donat. & in l. emptor, §. lucius, de pact. et quia facile est, ut scribentem pœniteat, ar. c. ii. de offic. deleg. & ex subscriptione ipsa omnis pœnitentiæ suspicio tollitur. Bald. in l. ult. C. si cert. peta. Sed hanc ego opinionem non puto iuridicam, ex eadem l. cum antiquitas, in qua dicitur, testatoris subscriptionẽ non esse necessariam, quando testamẽtum eius manu scriptum est. quod eo magis est uerum, si ex Consilii exhibitione, simili ue indicio prorsus explorata constaret mens Sapientis, ita uoluisse consulere. ar. nota. a Baldo in l. tribuimus, §. i. de milit. testam. In hoc etiam aduertat Sapiens, si cum altero consulat, ne motus forte collegæ auctoritate, illius Consilio non lecto, se subscribat. l. ult. ibiq. Bald. C. plus ualer. quod agit. quia iniquitati facile se subscribere posset, credens æquitati annuere. ar. d. l. ult. & l. nec ignorans, C. de donat. Felin. in c. uenerabilis, colum. xiiii. de except. res quidem indecora, ac perniciosa in iurisperito maxime, qui ex eo, quòd iuris scripti testimoniũ reddit, testis iuris appellatur. nota. in l. ii. uer. testabantur, de orig. iur. ideo sicut iudex pronuntiaturus diligenter acta uidere debet, ne sententiam proferat nullam, Bar. & Alex. in l. ii. C. de eden. ita prudenter agit iudex requisitus, si legit sententiam iudicis requirentis: quia si, cum legerit, iniustam uiderit, honeste ipsius executionem recusabit. Innoc. Panor. in c. i. de off. ordina. Erit item ex consuetudine sigillo muniendum Consilium, ut docet Iacobus Gent. de ordin. iud. nu. xxix. Rationem itidem esse puto, quia ex sigillo scriptura indubitata redditur, d. §. cum aliquis, l. distrahente, C. de reb. alien. uel non alienã. Ang. in materia in l. in delictis, C. de relat. Sed & in sigillo idem arbitror, quod & in subscriptione, non esse scilicet adeo necessarium, ut eo omisso nullum reddatur Consilium; si tamen ex iam enarratis indiciis Sapientis mens ita consulendi euidenter appareat. ar. l. ult. post princ. C. arbitr. tute. Innoc. in c. ii. de fid. instru. Nihilominus, ut omnis prorsus tollatur dubitatio, prudens Sapiens & subscriptionem, & sigillum non omittet, &, quod magis

est, ex eiusdem Innocētii monitu scribet se sigillum appo suisse, ar. l. pen. de testa. & l. hac consultissima. C. eod. titu. obsignabitq́. Consilium, ne illius tenor partibus inno tescere possit, ut notant recentiores transalpini. in l. ii. uers. signata, de orig. iur. alioqui oriri facile posset aliqua suspicio, ex qua interdum perniciose partes ad iuramentum conuolare solent, sicut & aliis in rebus fieri contingit. Consulere autem poterit Sapiens, & absentibus litigatoribus, ut annotarunt Bart. & Castrens. in l. iubemus, C. de appella. & Ang. in l. i. §. i. de appellat. siue, Consulere, accipiamus, ut ipsi intellexerunt, quando Sapiens factum, ac ius perpendendo Consilium construit, siue quando omnibus examinatis, & Consilii explicatione facta iudici Consilium exhibet. quod & nostra fert consuetudo. ex quo tamen, non excluditur, quin postea partibus præsentibus sententia feratur, iuxta l. de uno quoque, de re iudica. & l. nam ita diuus, de adoption. Quæ enim in hoc facto Consilii exhibitionem præcedunt, & quæ subsequuntur, habilia, ut in aliis, esse præsumimus.

An laudabilis sit mutatio Consilij, & quo tempore mutare liceat. Cap. XXIIII.

VT ad solam ueritatis indagationem Sapientes inuitentur, hic subscribendum est, quod dicitur, non solum turpe non esse, sed contra Sapientis esse mutare Consilium, ab Augustino etiam uerbis, & exemplis propriis confirmatum. c. magnæ, xii. q. iiii. Innoc. & Bald. in c. ne innitaris, de constitut. licet autem Sapientis proprium sit, (ut ait Cicero) nihil, quod pœnitere possit, facere: & ex eiusdem sententia nihil sit quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, capiendoq́. Consilio seruare constantiam: non tamen minus Sapientis erit reuocare quod minus sapienter factum sit: quia tunc nunquam Consilii mutatio culpam subibit temeritatis & inconstantiæ. ideo legislatorem non pudet, suas leges corrigere. auct. ut fratr. fil. in princ. & auct. de nupt. prope princ. & iudices qui constituti

tuti sunt ut aliorum errores corrigant, non erubescunt errorem proprium corrigere. c. qualiter, i. de accusat. ac hortatur Speculator iudicem, qui suam potest interlocutoriam reuocare, ut audacter absque rubore eam quantum possit abroget, in §. uiso, uers. quoniam in tali, de except. Sed iure nostro non semper procedit huiuscemodi mutatio. licet enim ante Consilii exhibitionem sine difficultate fieri possit, Consilio tamen exhibito non modica uidetur difficultas, quæ insurgit ex l. ult. §. sed cum, C. de fur. et l. iudex posteaquam, de re iudic. quarum legum rationes uidentur inuicem pugnare, arguendo de iudice ad Sapientem, ut sæpe fit in tracta. Bart. de cons. habend. Quare Ioannes And. in addit. ad Spec. in uers. porro audi tis, de requis. cons. declarauit, si Sapiens uult Consilium mutare incontinenti antequam diuertat, mutare quidem posse. ar. l. lecta, si cert. peta. c. officii, de election. quia ex hac immediata continuatione omnis suspicio cessat. §. si mulier, in auct. de æqual. dot. Bald. in l. i. uers. & nota quòd interdum, C. de furt. Ex interuallo etiam Consiliũ mutare poterit, modo iusta ratione moueatur. l. nonnun quam, de colla. bonor. Sed si nulla probabili ratione Consilium mutare uelit, mutationem lex non admittit. l. cum hi, §. in causa, de transact. l. nuda ratio, de donat. cum si. quoniam tunc fraus aliqua, seu corruptio præsumitur, d. §. si autem mulier, cum si. Non solum igitur incontinenti, sed & ex interuallo mutatio Sapienti permittitur, modo lata non sit ex Consilio sententia, (& ita soluetur ratio l. si iudex posteaquam) uel lapsum non sit præfinitum tempus ad consulendum: tunc enim sero pœniteret. Ioann. And. in eod. §. porro, C. de causis, de off. deleg. Bald. in c. cum in ueteri, de elect. & in c. si pro debilitate, de off. dele. quinimmo, adeo licet congruo tempore erroris mutatio, ut non sequatur iudex Consilium, nisi Sapiens errorem correxerit. Bald. in d. §. sed cum, C. de fur. Bart. in l. si conuenerit, de re iudica. quam quidem mutationis materiam multis aliis exemplis prædicta omnia comprobantibus, late prosequitur Bologn. in auct. habita, num. clii.

clii.& cliii.C. ne fil.pro patr. Nec quicquam faciet, ſi quis dixerit, non poſſe quem mutare Conſilium in alterius præiudicium.l. nemo poteſt, ii. de reg. iur. & c. mutare, eod. titu. lib. VI. cum perfecto iam contractu, ac in diuerſis omnino terminis, textus ibi ab interpretibus exponatur; & id intelligitur cum alteri eſt ius quæſitum, ut ſi in re noſtra ex cõſilio eſſet lata ſentẽtia. Bal.conſ.ccccxii. lib. I. Itaque non idem ſemper dicet Sapiens, ſed idem ſemper ſpectabit. Et ſpectabit in conſulendo ueritatem, cum materiei, quam ipſe tractat, & in qua uerſatur, ſubiecta debeat eſſe ueritas, iuxta Ciceronis ſententiam, lib. I.off. Hic etiam ſilentio non prætermittam excuſari iuriſperitos, qui ſuper eodem facto diuerſis temporibus diuerſe conſuluerint, ſi, uel ob memoriæ imbecillitatem, uel aliqua iuſta ratione opinionem mutauerint. Florian. in l. Labeo, de ſeruit. ruſtic. præd. Bal.& Caſtr.in l. de tutela, C.de in integ.reſtit.& cum factum uariatũ eſt, id ſine aliqua difficultate procedit. Florian.in l.ſi ex plagis, §. in cliuo, ad l. Aquil. & pro materia facit quod plene cumulat Iaſon. in l. ſi ex toto, §. ſi ita legatum, in fi. de leg. i. Quid uero agat Aduocatus, ut facilius uictoria comparetur ante, ac poſt Conſilium datum, & quomodo cum iudice ſe gerat, extenditur & ad hoc Speculatoris diligentia in uerſ.hos autem, & uerſ. tu autem, de requiſ. conſ. cui addamus ea, quæ de captanda iudicis gratia paulo fuſius idem Spec. ſcripſit in §. nunc uidendum, de diſputat. aduocat. Extat etiam Lancellotti Politi luculenta de officio aduocati tractatio, in qua aduocatus inſtruitur quali ſcientia, prudentia, & eloquentia excellere debeat.

An morte iudicis, uel Sapientis Conſilium euaneſcat. Cap. XXIIII.

SI antequam Sapiens Conſilium exhibeat, iudex iam deceſſerit, uel officio functus ſit, amplius, ſecundum quoſdam, Conſilium ipſum exhibere non debet: quia ſucceſſor deceſſoris decreto ſtare neceſſe non habet: Bart. & Bald.

Bald. in l. quamuis, de reb. eor. mortuoq. mandatore re integra extinguitur mandatum. l. & quia, in fi. de iurisd. omn. iud. l. mandatum, C. mand. cum si. Non minus tamen Sapiens Consilium successori reddet, quàm decessori fecisset, si nihil humanitus ei contigisset, secundum Baldum in add. ad Spec. in uers. consilium commissum, de requis. cons. ex l. uerum, §. ex facto, de minorib. ubi Imperator ad Decii Seueri consultationem respondens, Vendio Quieto eius successori rescripsit. Faciuntq. Bar. & Bald. ibi, ac Spec. in §. superest, uers. sed pone quòd dominus, de lega. & huius opinionis ueritas ex eo facile licet coniicere, quia Sapientis officium a Principe recognoscitur, & publicum est, ut diximus supra lib. I. cap. v. Iudicisq. dignitas, ac officium nunquam moriuntur, c. quoniam Abbas, ibiq. glo. in uer. substitutum, de off. deleg. & c. si gratiose, de rescript. lib. vi. ideo successor, ac decessor una, & eadem persona censentur; pariaque sunt, in sententiis propriis, & decessoris se impedire. c. longinquitate, xii. q. ii. l. i. C. senten. rescind. non poss. Nec me mouet, posse successorẽ decretum reuocare, cui iniquus tutor subiecto nomine alterius dolose causam dedit, uel quid aliud simile, ut in d. l. quamuis, & l. iure nostro, cum ibi nota. a Bald. de testam. tute. cum multũ differat a commissione facta audito utroque litigatore, quæ irreuocabilis est, ex traditis supra cap. i. Ac licet mandatum extinguatur, non tamen (ut dici solet) extinguitur quodcunque præceptum iudicis. §. si uero, & præcepta, in auct. ut nulli iudic. c. quisquis, uers. quod præcipitur, xiiii. q. i. ratio est, quia iudicis præceptum a iuris necessitate, mandatũ autem a mera mandantis uoluntate pendet. Bald. in addit. ad Spec. in §. restat, de iudic. deleg. glo. in c. dudum, xviii. q. ii. Contra etiam, mortuo Sapiente, Consilium non euauescit, quod tamen perfectum sit, & missum, uel exhibitum intra statutum tempus, ex tradito a Spec. exemplo in d. §. restat. functus est enim Sapiens officio suo, cumprimum, seruata forma, de qua in superioribus capitibus, Consilium scripsit, ac ad

iudicem

iudicem misit. l. ii. prope finem, de orig. iu.; Bald. in c. cum in ueteri, de electíon. & in c. si pro debilitate, de off. deleg. Minus obest quod dicimus, mortem omnia soluere. §. deinceps, in auct. de nupt. cum id non intelligatur in iis, quæ postquam sunt in esse producta, per se stare possunt, sed in iis proprie, quæ ex personæ subsistentia consistunt, ut in matrimonio, societate, seruitutibus personalibus, & aliis generis eiusdem. l. adeo, in princ. pro soc. §. finitur, instit. de usufruc. & de usu, & habita. cum si. Si uero moriatur Sapiens non dato Consilio, alius statim eligetur, nec expectabitur labi iam præfinitum a statuto tempus ad consulendum. Bald. & alii in c. cum in ueteri, de election.

An iudex, & arbiter necesse habeant sequi Consilium Sapientis. Cap. xxv.

HABITO a iudice Sapientis Consilio, ac eo resignato, pars, cōtra quam legitur, caute se geret, si in actis protestabitur Consilium iniquum, & non mereri executionem, ita docente Bar. de cons. haben. uers. xiiii. Quid autem faciet iudex in sequendo Consilium? Pro huiusce rei intelligentia quattuor fingemus casus, & omnia, quæ circa hoc inuicem pugnare uidentur, unico contextu conciliabimus. Primo ponamus, iudicem, monitis partibus, ipsisq́. assentientibus, Consilium habuisse, & tunc credidit Bar. debere iudicem sequi Consilium de cons. haben. uers. septimo, ea ratione quòd si a principio suum erat habere, & non habere Consilium, l. ii. in fi. mand. l. consilii, de reg. iur. si habere maluit, & sequi debebit, ar. l. in commodato, §. sicut, commodat. Sed hæc mihi opinio non arridet, ex ead. l. ii. in illis uerbis, Vnicuique liberum est explorare an sibi expediat Consilium, unde dicit Baldus conscientiam Consilii, & non præcepti sperni posse absque peccato, in c. bonæ, ii. de postu. prælat. Nec id quod dicitur de obligatione, quæ incidit in nomen contractus in d. §. sicut, Consilio quouis modo aduersatur; quinimmo

quinimmo cum hæc ſimul compatiantur, ut quis habeat, & non ſequatur Conſilium, c. cum in ueteri, de elect. c. cum olim, de arbitr. contrariam firmabimus concluſionem: quæ multo magis uera erit, ſi abſque partium interuentu iudex Sapientem conſuluerit. Caſtrenſ. conſ. vi. uerſ. tertio. Innoc. in c. nec Epiſcopi, de tempor. ordinat. Secundo ponamus, iudicem altero litigatore petente Conſilium accepiſſe, & tunc Bart. eadem ratione idem arbitrari uidetur, ex iam citatis locis, & l. cum tale, §. Reſcriptum, de condit. & demonſt. l. Titium, & Meuium, de admin. tut. iuncta l. idemq́. §. ſi quis, mandat. quod argumentum, ut diximus, procedere non poteſt. cum nil impedire poſſe ſentiam, attenta natura Conſilii, quin iudicis uoluntas libera ſit. ar. l. qualem, de arbitr. & l. quidam decedens, §. i. de admin. tutor. Innoc. & Butr. in c. ſi pro debilitate, de off. delegat. quæ ratio colligitur ex commentariis eiuſdem Bartoli è diametro contrarium exiſtimantis in l. ſi conuenerit, de re iudic. qua ratione, & aliis, quæ in his libris occurrerunt, ſum opinatus, tractatum illum de conſ. haben. non eſſe Bartoli, ſed potius Alberti Pap. ex quibuſdam uerbis Ioannis And. in addit. ad Spec. in §. dicto uerſ. porro in Italia, de except. Tertio, fingamus ambas partes requiſiuiſſe Conſiliũ, & aſſumptioni aſſenſiſſe. nec quidem cogetur iudex Conſilium ſequi, ut annotarunt omnes in d. l. ſi conuenerit, in d. c. ſi pro debilitate, & Bald. in l. obſeruare, §. proficiſci, de offic. proconſ. cum in quolibet actu boni uiri arbitrium ex regula ſpectari debeat. l. hæc uenditio, de contrahen. empt. l. ſi libertus, de oper. libert. & d. l. quidam decedens. Quarto, ponamus, iudicem legis iuſſu Conſilium habuiſſe, & tunc minus neceſſe habet ſequi Conſilium. Bar. in d. l. ſi conuenerit. quæ ſententia uerbis, ac menti iuriſconſulto eſt ualde conſentanea, in d. l. ii. & non diſcrepat a mente Pontificis, in d. c. cum olim, nec a ratione cuiuſcunque legis de boni uiri arbitrio loquentis, l. ſi in lege, in princ. locat. l. i. in fi. de legat. ii. atque eam amplexi fuerunt Spec. Ioann. And. & Bald. ut refert, & pro-

bat Alex. in l. si conuenerit. Panor. & alii in d. c. cum olim. faciunt etiam quæ dicuntur ab Ang. in cons. clxxxviii. et Imol. in clem. i. de æta. & qual. in priuatis enim officiis necesse est sequi uiam mandati, sed in publicis uiam iuris, quidam dixerunt, referente Baldo in l. i. C. de tuto. & cura. Illustr. person. Regula igitur est, non iudici necesse nõ esse, ut Consilium sequatur, nisi quando hoc ultimo casu (ut declarat Alex. ex mente Butrii) iudex omnino imperitus esset, ex c. uenerabili, cum glo. de off. deleg. & l. impuberibus, de suspect. tutor. quando scilicet (ut subdeclaratur ab Imo. in d. c. cum olim) ex loci consuetudine imperiti iudices statuerentur. quia tunc legislatorum mens præsumitur, ut iudices a peritorum Consilio non recedant, uel nisi municipii lex nominatim iuberet iudicem sequi debere Consilium. tunc enim iudex sequetur Consilium, etiam si sibi uideretur iniustũ, ne lex reddatur elusoria. Bart. Castrens. & Alex. in d. l. si conuenerit. Ang. cons. ccxvi. Nec probo opinionem Socini iuni. in cons. lxiii. lib. I. putantis id procedere quando iudici tantum uidetur Consilium tale, non quando palam omnibus uidetur iniustum. noua enim circa hanc cognitionem oriretur lis, contra legis rationem; qua præcipue legis conditores moti sunt. et quamuis ibi Alex. comparet consensum partium legi municipali, quoad hoc ut secundum Cõsilium pronuntietur, etiam si iudici uideatur iniustum; eam tamen sententiam non sequor, sed mihi placet Castrensis opinio in d. cons. vi. ubi non putat partes ullo casu cogere posse iudicem ad dandam sententiam certo modo, ex d. l. qualem. tametsi possit iudex, si uelit, iuxta cõsensum ipsarum partium Consilium sequi, et facere litem suam. et hoc casu sequetur iudex Consilium, etiam si a Sapiente post terminum a lege præfixum fuerit redditum, si Sapienti, qui intra præfixum terminum Consilium non reddiderit, pœna fuerit imposita. Alex. cons. xxiiii. lib. VI. Verum si apud Bart. aliquid compereris in materia Consilii, quod forte prædictis uideatur aduersari, in d. §. si plures, q. iii. & apud Bald. in rub. C. eod. uel in d. l. i. C.

de

de tuto. & curato. aduertas eos loqui, in Consilio extraiudiciali in quo appellationis remedium cessat, ut dixit Alex. in l. si conuenerit. His accedit (ut de arbitro etiam aliqua dicamus) clausula, Pronuntietur secundum Consilium talis, in compromisso posita: quæ cum auferat libertatem arbitro æque, aut inique pronuntiandi, non cogit arbitrum ipsum sequi Consilium: quia (ut quidam sentiunt) pro non adiecta censetur. Specul. in §. sequitur, uers. sed quid si dicatur, de arbitr. & licet ea opinio reprobetur a Ioann. And. ibi in addit. putante clausulam efficere, ut arbiter cogatur habere Consilium, licet non sequi. cuius sententiæ accedo ex ar. c. Nicena, xxxi. distinct. & l. si in tres, de arbitr. hoc tamen inter omnes conuenit, ut Consilium sequi necesse non habeat. Ex quibus (ut opinor) satis constat, quæ in sequendo unius Sapientis Consilium partes iudicis, uel arbitri esse possint.

Quid agat iudex in sequendo Consilium, si plures Sapientes pares, aut impares sint in opinionibus, uel si eorum aliquis assumi non potuerit. Cap. XXVI.

Cum ex quodam naturæ nexu homines facile dissentiant, l. item si unus, §. principaliter, de arbitr. euenit ut pluribus electis Sapientibus quandoque diuersa exhibeãtur consilia, & tunc quid faciet iudex pro ferenda sententia? Si pares sint Sapientes in diuersis opinionibus, eam sequetur iudex, quæ sibi iustior, ac æquior uidetur, Bar. & Castrens. in l. duo iudices, de re iudica. cum non dicatur hæreticus, qui in dubiis articulis opinionem eligit, quæ sibi magis placet. Innoc. in c. ne innitaris, de constit. & in c. nec Episcopi de temporib. ord. atque uniuersalis, ac probata in quibuscunque regula sit, orta discordia iudicem se interponere. l. in uenditione, §. si unus, de bon. auth. iudic. possid. notat. in l. & suum, §. ult. de pact. Ias. cumulate in l. ult. C. de iudic. ut in puncti formatione di-

ximus ſupra cap. ix. ſicut & de Principe dicitur, cuius eſt leges interpretari, & in maximis hominum controuerſiis legum ænigmata ſoluere. l. pen. C. de legib. Deci. in c. i. in fi. de Conſtitu. Cagnol. in l. ii. in fi. nu. xxxvii. de orig. iur. Sin autem Sapientes in iis opinionibus impares ſint, ſubdiſtinguemus. Aut lege cogitur iudex ſequi Conſiliũ, & maiorem partem ſequetur, ſecundum Ioannem And. & Bald. referente, ac idem ſentiente Alex. in d. l. duo iudices, Ang. & Imo. in l. ad Principem, de appell. ratio eſt, quia iudex ſequendo maiorem partem, adhæret illi Conſilio, quod ab omnibus factum uidetur. l. quod maior, ad municip. l. i. de uentr. inſpic. ex inuiolabili iuris præſumptione, quæ talis ſine dubio eſt, & redacta in Deciſ. Neapol. Deciſ. i. & Dalphin. q. clvii. & q. DCXXXI. Eodem pertinet quod de maiori teſtium numero dicitur in l. iii. §. i. & l. ob carmen, cum glo. in uer impari, de teſtib. Aut nulla lege cogitur iudex ſequi Conſilium, & opinionem minoris partis ſequi poterit, ſi ibi æquior, & iuſtior uidebitur. Bald. in l. i. uerſ. ſexto, de off. conſ. Deciſ. Rotæ, DCCLXXIII. & Caſtren. in l. & ſuum, §. hodie, de pact. & amplecti poterit opinionem uel unius, uel iuniorum, uel etiam neutrius opinionem ſequi. Alex. in l. maiorem, & in l. ſi ſeruum, §. ſequitur, de uerb. oblig. iuncto Imola in d. l. ad Principem, & Bald. in c. cum in ueteri, de electio. conabitur tamen Sapiens tutiori adhærere opinioni. l. ſi pupillus, §. i. & ibi glo. de reb. eor. qui ſub tut. tutior autem eſt opinio, quæ a pluribus Sapientibus approbatur. c. in canonicis, diſtinct. xix. & d. l. quod maior. et inter uarias opiniones eam eliget, quæ minimum habet offenſionis, & quæ ad rei, de qua contenditur, confirmationẽ tendit. l. ſemper in obſcuris, de reg. iur. l. quoties, de reb. dub. At quid fiet, ſi ex his aliquis infamis, uſurarius, excommunicatus ue erit? Et hac in re diſtinguendum. Aut Sapientes ordinario iure ſunt ex collegio aſſumpti, & ad iudicem non ſpectabit huiuſcemodi cognitio, ſed iuxta prædictam diſtinctionem ſequetur ipſe, uel non ſequetur Conſilium: nam ſi Sapiens in collegio retinetur, quomo-

do poterit in iudicio eius ſtatus in dubium poni? ar.l.præcipimus, C. de appell. & l. ſancimus, C. de teſtam. Aut extra ordinem, non ex collegio aſſumptio facta eſt, ut in ſpecie formata ſupra l.i.cap. xviii. & ſubdiſtinguēdo pariter duos fingamus caſus. Aut iudici cōſtat, electionis tēpore Sapientem hoc morbo laboraſſe, & Conſilium non ſequetur, ſicut nec in collegium recipi potuiſſet, ex traditis ſupra lib. i. cap. ix. & ar. notat. in auct. ingreſsi, C. de ſacroſanct. Eccleſ. Aut poſt electionem huiuſmodi notam incurrerit, & res uidetur dubia. durant enim ſæpe ea quæ conſtituta ſunt, licet ille caſus extiterit, a quo initium ſumere non potuerunt. l. patre furioſo, de his qui ſunt ſui uel alieni iur. §. ſi quis debitori. Inſtit. de lega. l. in ambiguis, i. de reg. iur. ideo iuriſdictio delegata non euaneſcit, ſi poſt delegationem excommunicetur delegatus. glo. in c. i. de off. uicar. lib. vi. nota. in l. more, & l. ſeq. de iuriſd. om. iud. Retorquendo tamen hanc eandem rationē contrarium uerius puto, quoniam non dum prolata ex Conſilio ſententia res integra eſt, cum maxime ut alii dicunt interdum ea, quæ recte conſtiterint, reſoluuntur, quando in eum caſum reciderunt, a quo initium capere non poterant. l. exiſtimo, de uerb. oblig. nec quidem delegato, pendente excommunicatione, exercitatio permittitur, in locis citatis, quinimmo, (quod magis eſt) aliquid interdum uitiatur, ſi ad eum caſum peruenerit, a quo conſiſtere poterat, l. utrum, ii. de aſsignat. libert. iuncto §. datur, Inſtit. eod. titu. quamobrem ſi tunc iudici conſtet illegitime Sapientem fuiſſe aſſumptum, ad alterius legitimi electionem properabit. ar. l. libellorum, uerſ. quod ſi, de accuſat. & not. in l. i. de edend. Atque ab his diſtinctionibus in ſequendo Conſilium, pluribus electis Sapientibus, non recedemus.

Quæ forma ſeruetur in pronuntiando ex Conſilio Sapientis. Cap. XXVII.

ALIQVA etiam habet iudex ex Conſilio pronuntiaturus

turus, quæ obseruet pro modo ferendæ sententiæ. Meminit Spec. in §. uiso, uers. porro in Italia, de except. & in §. ut autem, uers. in partibus, de senten. in Italiam huiusmodi esse ueram pronuntiandi formam, ut iudex Consilii tenorem explicet, ac in fine subiungat. Nos igitur eiusdem Consilii formam sequentes, Dei nomine inuocato pronuntiamus, & quæ sequuntur. Tradidit uero Bart. de consil. habend. uers. nono, ut accepto Consilio, & coram testibus aperto, & lecto, hæc uerba subiiciantur. Vnde uiso, & lecto ipso Consilio, secundum illud absoluo &c. Atque ex his orta est nostra, ac plenior quidem consuetudo. consilium enim, parte citata, & rogatis testibus Tabellio resignat, & legit, idq. in actis exprimit, postea iudex condemnat, uel absoluit ut in Consilio. Præcedit nanque citatio, quia nostra interest. l. de unoquoque, de re iud. In actis exprimitur resignatio, & lectio Consilii, ut ea prorsus tollatur quæstio, cuius meminit Bald. in l. i. C. de sent. ex peri. recit. & Felin. in c. uenerabilis, nu. xlvi. de except. Testes item adhibentur, ut sententia firmissimo fidei robore perpetuo in actis constet. Lanfr. in c. quoniam contra, col. v. de probat. l. in exercendis, ibiq. nota. C. de fid. instr. Ac sicut nos morem nostrum sequimur, ita uniuscuiusque fori consuetudo attenditur, quæ in loco, ubi est, uim legis habet. Bar. in auct. qui semel, uers. ulterius, C. quom. & quan. iud. Bald. in l. ult. C. quæ sit long. consuet. c. illa autem, xii. distinct. Sed dicet aliquis, municipali regula deficiente, quæ forma seruabitur? Et Speculatoris, & Bartoli forma bona est, a Iac. Genti. multo clarius nouissime explanata, de ordin. iudic. nu. xxx. facitq. Decis. Rotæ, DCCXCIII. in antiq. Illud autem non omittam, prudentem iudicem, antequam legatur Consilium, debere manu sua ita subscribere, Nos N. pronuntiamus ut in suprascripto Consilio &c. ne oriatur dubium, an sententia ex scripto recitata, lata ue sit. Ang. cons. ccl. & Ias. in l. nec quicquam, §. ubi decretum, col. xv. de off. procons. Bonum item erit, non tamen necessarium, ut Sapiens sit præsens, cum Consilium legitur,

tur, & ſententia fertur. Spec. in §. qualiter, uerſ. item adeſſe, de ſenten. ac ut Conſilium apud acta redigatur, Panor. in c. illa, in fi. de accuſat. Sed raro continget ut in iis omnibus careat ciuitas ſtatuto, uel conſuetudine: cuius ordo, uel qui ſupra traditus eſt, erit omnino ſeruandus, ut iudicis pronuntiatio in uim ſententiæ ualeat, c. unico, de lit. conte. Panor. in c. de cauſis, de off. deleg. Et quæ de forma pronuntiandi ex Conſilio in ordinario iudicio dicta ſunt, in ſententia quoque arbitraria obſeruanda erunt, ex l. i. de arbitr. cum l. pen. prope fi. C. eod. niſi tamen Arbitratoris ſententia eſſet, quæ & clauſa ferri poteſt, ac in ea omnis ordinis iudiciarii ſolemnitas ceſſat, Bald. in l. i. C. de ſent. ex peri. recit. Lanfr. in d. c. quoniam contra, col. v. & ſub uer. interlocutiones & appella. col. iiii. His itaque pertractatis, quæ uſque ad ſententiam ex Conſilio declarari debeant, reliquum eſt ut ea dubia, quæ poſt ſententiæ prolationem oriuntur, expediamus.

DE CONSILIO SAPIENTIS,
IN FORENSIBVS CAVSIS
ADHIBENDO, LIBER IIII.
A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTVS,
AD BARTHOLOMAEVM VITELLIVM.

Sententia lata ſine Conſilio Sapientis quando cenſeatur nulla; & quo modo dignoſcatur, iudicem Conſilio Sapientis uſum non eſſe. Cap. I.

SVPEREST, ut de iis ambiguitatibus loquamur, quæ lata ſententia ſuboriuntur, quando adhibendum erat, uel quando etiam adhibitum eſt Conſilium Sapientis. Et primo, cum generalis lex extat iubẽs iudicem debere ſententiam ferre cum Conſilio Sapientis, ualebit ne ea pronuntiatio, quæ non habito Conſilio lata fuerit? Leuis eſt (ut ſtatim abſoluamus) ſolẽnitas illius Conſilii, quod & ſequi, & non ſequi poſſumus. Bart. in l. i. §. ſi plures, uerſ. quarto quæro, de exercit. & cum noſtrum Conſiliũ ſit huiuſmodi, quia id ſequi, & non ſequi poſſumus, ut diximus ſupra lib. III. cap. XXV. non uidetur ex hac leui ſolemnitatis omiſsione latam ſententiam uitiari. l. i- in fi. ibiq. nota. de uentr. inſpic. Bart. in d. §. ſi plures, maxime quia ciues ea uerborum amplificatione uſi non ſunt, quam in aliis crebro uſurpare ſolent, ut puta, Omiſſo Cõſilio ſententia lata non ualeat, idq. genus ſimilia. l. Titiũ, in princ. de adminiſtr. tuto. cum ſi. quo caſu etiam ſine Conſilio lata ſententia uidetur ualere. Hoſtienſ. uer. ubi

uero

uero & Panor. uerſ. ſed pro declaratione, in c. cum olim de arbitr. Oppoſitum tamen, & optime quidem exiſtima runt Bar. & Bal. poſt Ricar. Cyn. & Oldr. ille in d. §. ſi plu res, hic in rub. C. de exercit. uerſ. ut autem, & in c. cum in ueteri, de electio. Maria. Soci. conſ. x. in uol. iiii. conſ. Maria. & Bar. Ratio eſt, quia ſi iudici a ciuium lege pote ſtas datur, ac eorundem ciuium iure Sapientis Conſilium imponitur, negligendo Conſilium forma perſcripta non ſeruatur, nimirum ſi actus corruit. l. cum hi, §. ſi Prætor, de tranſact. Felin. in c. cum dilecta, uerſ. de formæ de reſcript. Nec dicitur leuis ſolemnitas, quæ facti uim, ac na turam mutat, l. ſi pupillorum, §. ſi pater, de reb. eor. l. diuus, de in integr. reſtit. & quæ facile iudicem trahere poteſt in contrariam ſententiam, ut in Conſilio d. cap. xxv. Conſilium enim eſt (ut inquit Bald. in d. rub.) quædam cauſæ cognitio, & iuris ordinatio. l. magis puto, §. nec tamen, de reb. eor. ac ea leuis intelligitur, quæ nulla ratione munitur; et quæ ſi omittatur, nullum afferre poteſt præiudicium. Bald. in l. hac conſultiſsima, uerſ. item dicitur, C. qui teſtam. face. poſſ. Alex. conſ. xcviii. lib. iiii. & hac ratione, ſolemnitas de qua in d. l. i. de uentr. inſpic. facile omitti poteſt. Et licet in lege alia pleniora uer ba expreſſa non fuerint, uidetur tamē lex in Conſilio pro ferenda iudicis ſententia ad ulteriora procedere; Conſilio ſcilicet omiſſo ſententiam nullam eſſe. l. prolatam, cū ibi not. C. de ſent. & inter. Bald. in l. unica, C. ne lice. tert. & in marg. in uer. iudex qui commiſit, Canon. in c. ſi pro debilitate, de off. deleg. quod nihilominus uerum erit, ſi a parte petitum fuerit Conſilium. Alex. conſ. cxxii. col. pen. lib. II. Hipp. Marſ. in rub. de fideiuſſ. num. cxlvi. Sed quomodo ſententiam latam eſſe ſine Conſilio definie mus, cū ex regula, omnia præſumantur ſolemniter acta? §. ult. Inſtit. de fideiuſſ. l. i. C. de fid. inſtrum. & iur. haſt. fiſc. & in ſpecie Rofredus (ut refert Bal. in d. l. unica) exi ſtimauerit præſumi adhibitum fuiſſe Conſilium? Dignoſci quidem poterit, ſi contra Rofredum conſideremus ſen tentiam, & Conſilium ſeparatim conſiſtere poſſe, nec Cō

silium aptum esse sub uocabulo, Sententia, comprehendi, Dyn. in l. sciendum, de uerb. oblig. Bald. cum Sicu. in addit. in d.l. unica; & si consideremus quod uulgo dici solet, negatiuos effectus eo ipso probari, quòd non datur contrarium. l. quæcunque, in fi. cum glo. de public. ideo non sequitur Baldus opinionem Rofredi, nisi quando sententia lata fuit præsentibus litigatoribus, & non contradicente uicto, uel eo contradicente, ac postea biennium lapsum sit, ex not. ab Innoc. in c. quoniam contra, de proba. & nota. in c. in præsentia, de renuntiat. & quando utroque casu iudex dixisset, Nos. N. habito Consilio pronuntiamus, & quæ sequuntur. litigatorum enim præsentia, uel temporis lapsus nulla facta contradictione, solemnitatis præsumptionem inducit. Bart. in auct. si quis in aliquo, in fi. C. de eden. & in l. ne in arbitris, C. de arbitr. Ancar. in c. i. de constitu. sicut plurimum ualet temporis cursus, ut exceptio non numeratæ pecuniæ opponi non posit. Instit. de litter. oblig. in princ. ac eo magis pro iudice insurget præsumptio, cui plus quàm parti a iure tribuitur. glo. in l. quoties, §. ult. de probat. iuncta gloss. in c. statutum, ii. q. vi. Quod tamen locum habere iudico, si ex more sufficeret cum Sapiente habere colloquium, nec seruaretur ordo superiori libro traditus exhibendi, atque publice legendi Consilium, ante quàm proferatur sententia. alias huiusmodi solemnitas, ubi requiritur scriptura, non præsumeretur. Bald. in marg. in uerb. probatio fundamenti. Ex regula enim extrinseca solemnitas non præsumitur, nisi expresse appareat; iux. nota. in l. sciendum: Bald. in c. cum in ueteri, de elect. immo subscriptio Sapientis requiritur, uel quid aliud simile, ut quidam addentes Panor. probabilibus auctoritatibus nixi existimarunt in c. intimasti de appella. Et quod diximus nullam esse sententiam neglecto Consilio, procedet in definitione causæ, non in actis interlocutoriis, in quibus uigente etiam generali lege de Consilio habendo, non adeo erit necessarium Consilium, ut eo non habito sententia nulla sit. Bald. in d. l. unica, & Barbat. ibi in addit. suis.

An sit necesse, sententiam latam sine Sapientis Consilio, a lege imposito, declarari nullam. Cap. II.

QVAERENDVM adhuc, an, ut exceptio contra sententiam prosit, opus sit sententiam latam neglecto Consilio a lege imposito, quam modo conclusimus nullam esse, a iudice pronuntiari nullam. pergam enim dubitando, ut ex rationum conflictu facilius ueritas eliciatur. Necessaria sane uidetur huiusmodi pronuntiatio. alioqui semper pro sententia præsumitur, iuxta iuris regulam, quam nõ solum in ordinarii, sed in arbitri sententia plene collegit Alciat. de præsumpt. reg. iii. præsu. xii. quinimmo (quod magis est) licet ex lege aliquid ipso iure intelligatur, requiritur tamen sententia iudicis declaratoria. l. iiii. C. de hæretic. & c. cum secundum, eod. titu. lib. VI. ideo in emphiteota, qui ob nõ solutionem canonis cadit a iure suo, exigitur iudicantis sententia. Spec. in §. nunc aliqua, uers. xlviii. de locat. & Imol. in c. potuit col. xii. ext. eod. tit. Et Tabellio committens falsum, propter quod ex forma statuti officio Tabellionatus priuatur, instrumenta facere potest, ualetq́. omne quod agit antequam falsarius declaretur. Spec. in §. restat, uers. quid si instrumentum confectum, de instrum. edit. Hipp. diffuse in rub. ad l. Cornel. Contra autem sic possumus arguere. si duæ leges in ciuitate essent, una, ut sententia feratur cum Consilio ancianorum, & alia, ut statim sententia executioni mandetur, sententia executioni mandari non poterit, si constaret legis formam omissam. Bald. in l. unica, C. ne lice. tert. quæ plane de Consilio lex, formalem quandam solemnitatem inducens uidetur innuere, ut, Consilio omisso, sententia sit ipso iure nulla, ut Odofred. & Rofred. censuerunt ibi referente Baldo, & adeo quidem, ut opus non uideatur aliqua iudicis pronuntiatione. Bar. in l. unica, in iii. not. C. de Thesau. lib. x. & in l. quæ sub conditione, in fi. de condit. institu. quod eo magis uerum esset, si in lege dice-

retur, Omnino, uel Modis omnibus, uers. & rursus, in auct. ut defunct. seu fun. eor. Roma. fin. i. confirmo hanc opinionem ex quotidiano usu. Exempli gratia, si apud nos a sententia Vicarii Prætoris ad pedaneum iudicem appel latum fuisset, hæc appellatio, ordine turbato, interposito non suspenderet. Et si quis in contractu emphiteotico se obligasset soluere frumentum ultra limitationem a ciuibus nostris factam, necesse non est deleri contractum, sed iuxta limitatam summam obligatus erit. patet etiam sen tentiam latam a iudice recusato, iudicis ope non indigere, quæ eam nullam declaret. Bar. qui, & Hostiensis opi nioni accedit in l. quia poterat, ad Trebell. & apertis distinctionibus aliqua huius materiæ declarat in l. si ut proponis, i. C. quo. & quan. iud. Obiecta autem in diuersis omnino terminis procedunt: tractamus quidem nos de damno uitando, in contrariis uero agitur de damno inferendo; nos ex aperte inani sententia, nullam contra nos fieri posse executionem dicimus, in iis uero locis agitur, ut quis suo iure priuetur, ex confiscatione bonorum in c. cum secundum, ex amissione utilis dominii, in Spec. & Imol. ex amissione officii Tabellionatus in comment. Hipp. quæ iura, & pleraque eiusdem generis, nisi præuia iudicis declaratione a nobis auferri non possunt, etiam si essemus in iis, quæ palam constant, & quæ notoria ab interpretibus appellantur. glo. in c. euidentia, de accusat. Bald. in l. si maritus, C. de donat. iuter uir. & uxor. ut in Spec. Bart. & Hipp. locis citatis. si quis autem maluerit sententiam pronuntiari nullam, non erit reprehendendus, immo laudandus, quòd caute se gerat. Maria. Socin. cons. x. in uol. iiii. Cons. Marian. & Barto. Et in hoc, sicut in aliis fieri solet, spectabitur optima legum interpres, ac præcipua forensium negotiorum moderatrix consuetudo.

An ualeat ſententia uoluntario Conſilio non expectato; & quid, ſi iudex iuxta Conſilium habendum pronuntiauerit. Cap. III.

QVAE de ſententia ſine Sapientis Conſilio a lege impoſito, proximis cap. dicta ſunt, locum etiam habere uidentur, ſi iudex uoluntarie cauſam commiſerit, & Conſilio non expectato ſententiam tulerit. c. cum in ueteri, & c. ne pro defectu, de election. uidetur enim tunc temere nimis ac furioſe proceſſum, contraq́. omnem iuris rationem, quæ non patitur, ut in iudicio ne minimum quidem a iure alienum indulgeatur. l. iudex, C. commi. epiſt. & l. iiii. C. de dilation. not. per Spec. & Ioann. And. in addit. de inſtrum. edit. §. nunc uero aliqua, uerſ. ſed quid ſi dixi. Sed ſi recte prædicta conſiderentur, cognoſcemus omnia non uoluntaria, ſed neceſſaria eſſe, uidelicet Abbatum reſponſum in c. cum in ueteri, capituli, uirorumq́. Conſilium in c. ne pro defectu; iudicis patientiam in d. l. iudex, cognitionem in d. l. iiii. ut declarare uidetur Baldus in l. ex illo, C. de appell. quam neceſsitatē modo non fingimus, ſed mere uoluntariam commiſsionem: quo caſu deciſum eſt, poſſe iudicem commiſsionem reuocare, & abſque Conſilio ſententiam dicere. Bar. in l. ad Principem, de appell. Bald. in d. l. ex illo. Ratio eſt, quia ex commiſſione, iudicis iuriſdictio non ſuſpenditur. Bart. in d. l. ad Principem, Bald. adden. Spec. de executio. ſentent. in ult. addit. uerum quandoque accidit ut licet iudex non expectet Conſilium, non tamen ſuo ſenſu, ſed iuxta Conſilium reddendum pronuntiet: quæ pariter pronuntiatio nulla eſt, ut in conſilio Alexandri, multis auctoritatibus referto, legi poteſt, clxxxv. in fi. lib. II. oportet enim, quando uult iudex ſe ad Conſilium referre, iam Conſilium in actis exhibitum fuiſſe. Ioann. And. in add. ad Spec. in §. uiſo quando, uerſ. porro in Italia, de except. & in §. qualiter, in addit. incip. tuas, de ſentent. prolat. alioqui Conſilium non dicitur de actis cauſæ. c. quoniam, de probat.

l. ii.

l. ii. C. ut lit. pendent. et consequenter sententia non ualebit. quia sententia, quæ nec ex se, nec ex relatione ad acta certa est, iudicati actionem non præstat. l. iii. C. de sent. quæ si. cer. quan. Butr. in c. cum uenerabilis, de relig. dotib. Præterea iudici liquere debet super quo fundet sententiam suam. l. hæc autem, §. i. quib. ex caus. in poss. eat. & liquere non dicitur, nisi ex actis, quæ in iudicio producta sunt. l. properandum, §. et si quidem, C. de iudic. Felin. in d. c. uenerabilis, col. xiiii. ubi plene disseruit, an sententia sit nulla, quæ non lecto Consilio, & minime in actis redacto lata sit: ad cuius copiosam doctrinam potest relatio haberi, quam etiam attingimus in ult. cap. lib. III. qua ratione nec ex eo Consilio est ferenda sententia, in quo dixit Sapiens, Consulo ut Pomponius consuluit in tali causa, si Pomponii Consilium productũ non est. Ang. cum Imo. in l. si conuenerit, de re iudica. et cum habeat hic pronuntiandi modus tacitam quandam conditionẽ, quo modo recte fiet, quod geritur, si non est dicenda sub conditione sententia? l. i. §. biduum, quand. appell. sit. si item innuit Alex. in loco prædicto, sententiam non nisi aperto Consilio ferri posse, iuxta formam superiore libro traditam, addito Baldo in l. i. col. i. C. de sent. ex peric. recit. quo modo poterit ualere secundum Consilium reddendum lata sententia? quod tamen uerũ esse dicemus, nisi iusta causa contrarium suadeat; ut puta, quando ex legis forma intra certum tempus, sub certa pœna debet iudex negotio finem imponere, & negligens esset Sapiens in exhibitione Consilii. Bald. & Saly. in l. cum iudex, C. de sent. & inter. Socin. cons. cxxiiii. lib. I. sicut dicimus, quando iudex ob temporis breuitatem non potuit perpendere acta iudicii, potest ex sententia Butrii, ibidem referentibus Baldo & Saly. pronuntiare, Absoluo si ex actis est absoluendus, aut condemno si ex actis est condemnandus. Sed ego non ita simpliciter hanc sententiam sequor. Nam condemnatus, si ex actis est condemnandus, ex relatione ad acta iuste condemnatus est. condemnatus autem iuxta Consilium reddendũ,

ex

ex iniquo Consilio iniuste condemnari posset: non ideo probarem eam Baldi, & Saly. sententiam, nisi municipalis lex cogat iudicem, ut sequatur Consilium.

Si partes conuenerint, ut iudex super pluribus iudicet, ut tali Sapiente uidebitur, an ualeat sententia ex illius Consilio lata; & quid, si super uno articulo tantum consuluerit. Cap. IIII.

INITO pacto, ut iudex super pluribus partium controuersiis sententiam ferat, ut tali Sapienti uidebitur, si iudex iuxta traditum Consilium pronuntiauerit, nō uidetur latam sententiam ualere, sicut nec ualere compromissum diximus, in quo huiusmodi clausulæ, seu uerba inserta sunt, supra lib. 1. cap. xxviii. Sed hoc argumentum refelli uidetur a Bar. in l. i. §. si plures, in vii. q. de exercito. ubi oppositum uerum esse censuit ex l. si conuenerit, de re iudica. ubi inquit Vlpianus, si conuenerit inter litigatores quid pronuntietur, non ab re erit iudicem huiusmodi sententiam proferre. Plane reiicitur compromissi consideratio, diuersa suadente ratione ex arbitri natura proueniente, quæ est, ut æque ac inique pronuntiare possit, ne sit arbiter solo nomine. l. diem proferre, §. stari, & l. item si unus, §. idem Pomponius, de arbitr. iudex uero limitatam legi, æquitatiq. obstrictam potestatem habet. auct. iusiuran. quod præsta. atque non licet iudici iuris rationem excedere, uel aliter iudicare, quàm quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. l. hodie, de pœn. §. i. Instit. de off. iud. maxime quia iudex ipse in uitus Consilium non habet, &, si habere uult, id sequi non tenetur, ut probant notata supra lib. 1. cap. xx. & lib. iii. cap. xxv. cum uero, uiso Consilio, iudex id sequi maluit, quæ subesse potest ratio, quare sententia ualere non debeat? & quando pronuntiatio uti sentētia non ualeret, nihilominus in uim pacti posset uires habere, iuxta nota. per glo.

glo. in l. ii. C. comm. utriusque iud. & glos. ult. in c. a nobis, de senten. excommu. sed quid dicetur hoc casu, quo plura commissa sunt, si super unico tantum articulo consultum fuerit? negotium una commissum erat, & una pariter uidetur fuisse tradendum Consilium, ar. c. qualiter, ii. in fi. de accusat. & c. licet ely, de Simon. ne Consilium, & sententia a libello discrepent. l. ut fundus, ibiq. not. comm. diuid. Hinc est, quod in familia herciscundæ iudicio, si in unius persona omissa sit condemnatio, in ceteris quoque, quod fecit iudex, non ualet. l. in hoc iudicio famil. herciscun. nec uidetur dicta sentētia, si de pluribus rebus arbitrium receptum sit, & arbiter omnes controuersias non finierit. l. dicere, de arbitr. petitio enim, ac sententia indiuiduæ dicuntur, & id, quod in causa agitur, diuidi non potest. d. l. in hoc iudicio, & l. nulli, C. de iudic. Diuersum tamen notat Decius, quando capita, licet plura, sunt separata, in l. eius qui, si cert. pet. tunc enim cōmunis stat sententia, ualere super quolibet articulo prolatam sententiam. Bar. in l. etiam, §. ex causa de minor. & Bald. in d. l. in hoc iudicio. Tot nempe sunt capita, quot sunt sententiæ: sicut tot stipulationes, quot species, & tot legata, quot anni. l. quid tamen, de arbitr. l. scire debemus, de uerb. oblig. & l. senatus in fi. de donat. cau. mort. confirmatur, & ualidius hæc opinio, quæ uerissima est, ex l. quædam mulier, famil. hercisc. l. Carmelia pia, de iur. patron. & l. si ex falsis, C. de transact. Quibus consequens erit ut ualeat sententia, tametsi accessoria omissa fuerint, & nil in Consilio de fructibus, uel expensis dictum sit. Bar. in l. terminato, C. de fructib. & lit. expens. Innoc. in c. cum inter, de re iudic. facile quidem esse potest, Sapientem nil præter expeditam speciem considerasse, ar. l. licet, C. de iudic. Et quamuis huic rei aduersari uideantur ea, quæ notat Bald. in c. i. in princ. de contro. inuestit. soluit tamen Deci. in d. l. eius qui, Baldum intellexisse quando ex forma commissionis expressum sit, ut Sapiens super omnibus simul consulat. ar. d. l. quid tamen, in princ. cuius solutionis ueritas confirmari

etiam

etiam poteſt ex his, quæ notat idem Bald. in eod. c. i. §. item ſi uaſallus, ut in ſpecie ſuper qua Bald. ipſe conſultus reſpondit conſil. cccclxxxi. lib. i. Vnde intelligi facile poteſt, quid hac in re connexum, ac quid ſeparatum cenſeatur. ſed ne extra id, de quo diſputatur, noſtra fluat interpretatio, ad Accurſium nos referamus, & ceteros interpretes in d. §. ex cauſa.

Quid ſi ex lege in unum tantum compromittendum ſit, & duo electi fuerint, ut unus ſit arbiter, qui non alterius Conſilio de iure pronuntiet, isq́. habito Conſilio contra iudicauerit. Cap. v.

Cvm quidam, iubente lege in unum tantum compromitti, duos ex collegio iuriſperitos elegiſſent, ac in unum tantum ex eis ita compromiſiſſent, ut cum alterius Conſilio de iure pronuntiet; arbiter, habito Conſilio, diuerſum iudicauit. Cumanus conſultus, an hæc ſententia ualeat, conſ. lv. imprimis dixit, uerba, De, & cum Conſilio, in compromiſſo appoſita efficere, ut arbiter debeat Conſilium requirere, non neceſſario ſequi. c. cum olim, de arbitr. & c. cum in ueteri, de elect. cum ſi. immo quando aliquid cum Conſilio & conſenſu alicuius agi debet, (quod magis eſt) ſi is, cuius Conſilium, & conſenſus exiguntur, officii particeps non eſt, (ut in propoſita ſpecie) non cogitur alterius Conſilium ſequi. l. quidam decedens, §. i. de adminiſtr. tut. & plene Bart. in l. i. §. ſi plures, de exerci. alioqui, quod una uia prohibitum eſt, alia in fraudem legis concederetur, contra l. oratio, de ſponſ. & c. cum quid, ii. de reg. iur. lib. vi. in contrarium facit natura dictionis, De, quæ infert neceſsitatem. c. ii. in fi. de ſtat. monac. c. ut commiſsi, de heretic. lib. vi. Item quia quoties quis mandat haberi Conſiliũ, ex illo actu obligatur, & ſequendum eſt Conſilium. l. idemq́ue, §. ſi quis ea, cum

glo. mandat. & l. si quis mihi bona, §. si coram, de acqui ren. hered. sed quia in horum argumentorum deductione Cumanus adduxit Compost. Vinc. Archid. Bar. Iacob. ab aren. Rizar. Rayn. & Alber. ex quorum dictis nouit magnam oriri altercationem, quam sedare cupiens præcipue considerauit quod eleganter obseruat Hostien. in summ. de his quæ fiu. ab Episco. sine consen. capit. negotii scilicet, & personarum qualitatem spectandam esse, quæ quandoque efficit, ut Consilium pro consensu ponatur. c. uenerabilis, de off. delegat. c. i. de for. compet. c. quanto, de his quæ fiu. a prælat. inferendo, compromittentium mentem fuisse, ut Consilium arbiter omnino sequatur; quia ab uno arbiter pro confidente electus fuit, & ab altero Sapiens, ut ex eius Consilio pronuntiaretur. alioqui uni parti iniuria fieret, quæ soli alterius partis confidenti non annuisset. ar. l. ult. C. de iudi. & l. ii. §. merito, ne quid in loc. public. & parum fuisset consultum parti illi ex sola requisitione Consilii, si sequi non cogeretur, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. l. item si unus, §. principaliter, de arbitr. Accedit consultoris iurisperiti qualitas, & utriusque dictionis, De, & cum, cumulatio, cum copula intermedia, quæ debet aliquid efficere. l. si stipulatus, in princ. de usur. & l. ea tamē adiectio, de leg. iii. Et tandem consuluit Cumanus nullam esse sic prolatam sententiam, infirmis tamen (ut opinor) fundamentis, minimeq. respondēdo oppositis, quæ satis ueritatem contrariæ sententiæ ostendunt. Nam ratio inæqualitatis imbecilla est, eum sicut præsumit ipse, electioni assensurum non fuisse, nisi fuisset coactus arbiter Consilium sequi. ita parum isti prodesset electio, si electus necessario Consilium sequi cogeretur; unde credi debet, eos, qui compromiserunt, uoluisse in casu dubio se accommodare ad naturam arbitrii, & Consilii, ar. c. i. de rescript. & Imol. in c. finem, col. ult. de dol. & contum. quæ est, ut æque, & inique arbiter iudicare, ac ut sequi, & non sequi Consilium posit, l. diem, §. stari, de arbitr. l. ii. mand. & c. consilii, de reg. iur. Sed quid est opus argumen-

gumentis, si quando uoluissent partes cogi arbitrum, ut Consilium sequeretur, id facere non potuissent? nullum profecto esset sic factum compromissum, ut supra lib. I. cap. xxviii. probatum est: & in firmioribus terminis Consilii Sapientis dubium esse posse, dicebat idem Cuman. cons. cxliiii. ubi curiosus aliam in materia Consilii Sapientis facti speciem decisam inueniet. Si igitur fieri potest, ut & compromissum ualeat, & Consilium habeatur, cur, quæso, nodum (ut aiunt) in scirpo quærimus? Nec erit superuacaneum Consilium, quod facile trahere potest arbitrum in contrariam sententiam, ex singulari argumento sæpe a nobis adducti textus in l. si in tres, de arbitr. Cessat etiam præsumpta mens compromittentium sequendi Consilium, ex eadem personarum qualitate. ex quo in facto ponitur ambos ex collegio iurisperitorū fuisse assumptos. quinimmo minime conuenire uidetur, ut iurisperitus cogatur secundum alterius Consilium sentētiam dicere. l. ii. §. Seruius autem, de orig. iur. Et dictio, De, quæ non determinat uerbum, Consilio, sed uerbum, Iure, inducere non potest in iurisperito præsumptam sequēdi Consilium uoluntatem. Quare puto arbitrum, habito illius electi Consilio, ut sibi melius uisum fuit arbitrari potuisse, atque sic latam ab eo sententiam ualere.

Si lex dicat, unum eligendum Sapientem, an ex duorum, uel plurium Consilio sententia lata ualeat. Cap. VI.

Civitatis lege caueri ponamus, unum ex collegii Sapientibus eligendum esse in causa, & litigatores, uno tantum non contentos, duos, uel tres elegisse, ac ex eorum Consilio latam fuisse sententiam. Et nulla uidetur huiusmodi pronuntiatio, utpote lata ex Consilio nullo. c. cū quid, i. de reg. iur. lib. VI. iuncto Bal. in cons. cccclxxxi. in fi. lib. I. ex quo lex unius fieri electionem iussit, & a partibus plures electi sunt, legis forma non seruata, contra. c. Pisanis, de restitu. spoliato. & quæ notat Alex. in l. i. de

liber. & posth. præsertim in plebiscito municipali, quod stricti iuris est, & sui natura restringi debet. Bart. in l.omnes pop. de iust. & iur. & in l. iii. §. hæc uerba, de neg.gest. Sed dixerunt non nulli alias consultum fuisse (& optimũ ut arbitror fuit Consilium) ex numeri ampliatione, quod geritur non uitiari. Patet in minoris contractu trium cõsanguineorum consensum nihil obesse, etiam si lex duorum tantum numerum statuat. ar. l. pediculis, §. Labeo, de aur. & arg. leg. & l. heredes, in princ. de testam. nil etiã uetat, & plures adhiberi testes in testamento, & plura signa apponi: quæ, tantum abest, ut testamenti confectioni, possessioni ue dandæ officiant, ut prodesse etiam non parum possint. Adde l. cum tabulæ, de bon.poss.secund. tab. l. qui mutu. manda. l. solet, de reg. iur. maxime quòd de una re dictum ad multas pertinet. l. qui filiabus, §. i. de leg. i. l. si plures, ibiq́. Bart. de leg. iii. Adde etiam quod uulgo dicimus, in maiori numero minorem inesse, l. i. §. si stipulanti, de uerb. oblig. l. quoties, §. sed si maiorem, de hered. instit. et ampliatum numerum formam nõ immutare, l. non sunt liberi, de stat. homin. l. i. §. Trebatius, de aqu. quot. & æstiu. ac maiorem numerum maiorem ueritatis præsumptionem inducere, gl. in c. si testes, §. in testibus, iiii. q. iii. Vnde plurium electio magis ueritati amica, nullo modo haberi potest irrita, & minus inde ex Consilio orta sententia. Mihi autem ualde probaretur, ut hoc casu iudex appellationis plures etiam eligẽdos statueret, ex ar. l. nihil tam, de reg. iii. & ut litigantibus uia, quam elegerunt, pateat. l. quod in heredem, §. eligere, de tributo.

Quid in sententia lata ex Consilio, in quo expressæ sunt bonæ & falsæ rationes, & quid si ex contrariis Consiliis lata sit.

Cap. VII.

A SAPIENTIBVS, qui allegationes in suis Consiliis deducere consueuerunt, bonæ interdum, & falsæ exprimuntur

muntur rationes in eodem Consilio, quod quidem Consilium nullum uidetur, & nulla ex eo lata sententia, uti falso fundamento innixa. ar. l. nam, & si sub conditione, §. rumpendo, de iniust. rupt. testa. quemadmodum dicimus, testimonium corruere testis ratione destructa. Bald. (quem reliqui sequuntur) in l. conuenticulam, C. de episco. & cleric. a qua quidem ratione dictum duci solet. Bald. in l. si seruus legatus, §. qui quinque, de lega. i. & Saly. in l. testium, in princ. C. de testib. & quemadmodum dicimus ei nil edictum Prætorium prodesse, qui ex falsa petitione in possesionem missus est, l. i. §. hæc uerba, ne uis fi. ei. Accedit etiam quod legimus utile per inutile uitiari, in l. certa ratione, C. quam. prouoc. non est nece. & in l. ult. C. de pact. obtinuit tamen uniuersa interpretum opinio, ut nil obsint falsæ rationes, quin reliquæ ueræ Consilium, seu sentētiam substineant, immo ualere sententiam, etiam si omnes expresse rationes falsæ sint, & clausula addita esset iis, & aliis rationibus &c. uel usus fuisset Sapiens uerbis alias rationes includentibus, Imo. in l. si plagii, de uerb. oblig. Felin. in c. sicut, col. xii. de re iudica. quanto igitur magis in proposita Consilii specie ualebit sententia, in qua sufficientem expressam esse rationem damus? maxime quia contrariam habemus ab omnibus seruatam regulam, utile per inutile non uitiari. Bald. in l. certi conditio, §. quoniam, si cert. peta. quam regulam ibi plene declarauit, & in d. l. certa ratione. Obiectis patet responsio, regulam non procedere, quando uidetur in fraudem legis excogitatum, uel quando agitur de una, eademq. re, uel facto: quod aliqua ratione diuidi non potest. ar. l. eum qui, in fi. de his quib. ut indig. & l. si quis in graui, §. si quis tabulas, ad Syllan. Quod adeo uerum est, ut, si lex iubeat pronuntiari secundum Consilium Sapientis, ac iudex uisis rationibus, quibus mouetur Sapiens ad ita consulendum, falsas existimauerit, sed aliis rationibus iuxta Consilii conclusionem iudicauit, ualeat sententia. Castren. in l. Clodius, de acquir. hered. Non credamus autem, licet ualeat sententia ex

Consilio

Consilio contrariis rationibus composito ualere senten-
tiam ex duobus Consiliis contrarias conclusiones conti-
nentibus. Bar. Paul. & Alex. in l. duo iudices, de re iudi-
ca. Bal. in c. ult. col. ii. ext. eod. titu. Felin. in c. uenerabi
lis, nu. xlv. de except. quod comprobatur ex iis quæ de
contrarietate in instrumento reperta leguntur in Spec. in
§. ix. uers. item quòd instrumentum, de instr. edit. & quæ
de prohibita contrariorum cumulatione notantur in l. i.
C. de furt. passim enim huiusmodi contrarietates iura
abhorrent, c. solicitudinem, in fi. de appellat. & c. in
nostra, de testib. quod eo magis uerum erit in Consilio,
ex quo fertur sententia, quæ sui natura certa esse debet C.
curare, instit. de action. & sicut Sapiens non est qui loqui
tur contraria, ita iudex prudens non est qui ex contrariis
Consiliis sententiam profert. Ideo debuit iudex hoc casu
in iudicando procedere ut declaratum est supra lib. III.
cap. XXVI.

Si sit petitum, iustitiam fieri secundum formam iuris & statutorum, an ualeat sententia ex Consilio, in quo Sapiens secundum statuta tantum consuluit. Cap. VIII.

VERITAS huiusce quæstionis, cum actor petiit sibi
iustitiam fieri secundum formam iuris, & statutorum, an
ualeat sententia ex Consilio, in quo Sapiens secũdum sta
tuta tantum consuluit, satis patebit, si nouerimus utrum
procedat libellus, in quo actio iuris communis, & condi
tio ex statuto propositæ sunt. & dubium facit quod præ-
cipit Vlpianus in l. quod in heredem, §. eligere de tribu.
quem scilicet eligere debere qua actione experiatur, u-
trum de peculio, an tributoria, cum sciat sibi regressum
ad aliam non futurum. Procedit utique libellus ipse ex
mente Bartoli in l. rerum quidem, de act. rer. amot. quo-
niam uerba secundum mentem proferentis interpreta-
mur.

mur. l. si quis intentione, de iudic. l. Neratius, de reg. iur. unde quando formam iuris, & statutorum inuocamus, ius intelligimus, quod a statutis admittitur, ac statuta quæ a iure non improbantur. glo. in d. l. rerum quidem, &c. cum uenissent, de eo qui mittit. in possess. rei seruand. caus. cui consequens erit, ut & Consilium, & inde lata sententia ualeat satis quidem libello cōgruens, ut iura requirunt. c. licet ely, de simon. quod, & expresse decisum est a Baldo in l. illa institutio, de heredib. institu. confirmatur etiam ex plenissima serie textus in §. i. Instit. de offic. iudic. Vbi Iustinianus ait, illud obseruare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est, maxime quia dictio, Ius, est uerbum commune. l. omnes populi, uulg. Ideo si Pataui petitum fuerit consuli secundum ius, non solum de communi, sed & de Patauino intelligetur, quod huius ciuitatis commune est. l. ult. ibique Castrens. C. de in integr. restit. minor. Imol. in l. gallus, §. si eius, de lib. & posth. Roma. in rubr. de arbitr. col. iiii. propterea quòd libellus intelligitur, ac interpretationē recipit, ut illud fiat, quod fieri debet. Bald. in l. obserua re, §. proficisci, de offic. proconsf. Innoc. in c. certificari, de sepultur. Non errauit itaque Sapiens, qui iuri tantum, uel statutis adhæserit, & non errabit qui credet ualere ex illius Consilio latam sententiam.

Quid in sententia lata ex Consilio extra tempus a statuto Patauino, uel Genuensi præfixum. Cap. IX.

PATAVINAE legis statuto, intra XX. dies Sapiens exhibere debet iudici Consilium a die, quo sibi acta tradita fuerunt. alioqui pœna punitur, ac alteri Sapienti causa committitur. unde si extra illum terminum, ex eiusdem Sapientis Consilio pronunciaretur, sententia esset nulla. Bald. cons. ccccxlii. lib. III. & in c. de causis, de offic. deleg. Socin. iuni. cons. lxiii. lib. I. & Castrens. cōs.

vi. uers. circa primum. Ex statuto autem Genuensi, finito termino xx. dierum a die, quo Sapiens causam cõsulendam suscepit, compellendus est Sapiens pro depositione consilii. Et hic oritur dubium, de quo fuit consultus Baldus in cons. clxix. lib. 1. si elapso termino, sponte Sapiens, & non impulsus Consilium præbuisset, an sit commissum contra statutum, ut lata ex tali Consilio sententia sit nulla. Ac respondet Baldus, naturam termini esse, suum dispositum limitare, constitutumq́. tempus esse diligenter obseruandum. l. qui fundum, de contrah. empt. l. scire oportet, §. consequens, de excusat. tutor. illud enim, quod ad certum tempus conceditur, i. habet certum finem, post tempus uidetur prohibitum. l. statu liberum, §. stichum, de leg. ii. qua ratione dici solet, metam temporis, formam quandam inducere, a qua recedere non licet. c. cum iu ueteri, de elect. cum si. ideo debebat Sapiens legis formam seruare, iudicis præceptum expectando. l. si de meis, §. ult. de arbitr. et concludit ipse necessariam omnino esse hanc iudiciariam compulsionem, ex qua sæpe uires accipiunt ea, quæ inualida sunt, ar. l. i. uer. non iussu, & uer. ne iussu, de his qui nota. infam. & l. ait prætor, §. permittitur, de minor. & l. non iustam, C. ad Trebell. Ego huic Baldi nimis subtili rationi minime assentio, & eam esse legis mentem non arbitror, ut compulsio sit necessaria, sed duntaxat, ut ante xx dies Sapiens cogi non posit pro depositione Consilii, & elapso ordinato termino compellatur. eos nanque iure, uel iniuria astringimus, qui sponte aliquid agere nolunt, l. in eo, §. deinde, de ritu. nupt. cum uero sponte agunt, quid est opus ui? quid impedit ualere quod agitur? Nec uerborum cortex, sed legis mens spectanda est: sicut & quando lex iubet unum eligi Sapientem, & plures electi fuerint, supra cap. vi. & in alia quæstione cap. v. tantum enim abest, ut Sapienti cõsulendi auctoritas post terminum sublata sit, ut eo tempore uoluerit lex ipsa negligentem Sapientem compelli ad deponendum Consilium. inuitat primo lex Sapientem ad deponendum Consilium, postea negligentem

tem aſtringit. Præterea ſi lex compulſionem tribuit, non ne conſulendi facultatem concedit? uidemus arbitrum ſuſcepto compromiſſo cogi poſſe arbitrari. l. iii. §.i.de recept. arbitr. illo autem finito ex lapſu termini non poſſe. l.ſi cum dies, §. ſi intra, & l. non diſtinguemus, §. compromiſſo, iuncta. l. litigatores, §. arbitrum, eod. titu. Nil obeſt ſi dicatur, ſic intellectam legem ſuperuacaneam eſſe, contra. c. erit autẽ lex, iiii. diſtinct. & c. regulæ, xxix. diſtinct. uoluit enim lex expeditos xx. dies ſapientibus permitti, & iis elapſis ad iuris remedia recurri poſſe. Quis igitur huiuſcemodi legis ſeriem ante certum terminum iudiciariam compulſionem denegantem, & poſt ſtatim concedentem ſuperuacaneam exiſtimabit? l. quicquid aſtringendæ, in fi. de uerb. oblig. §. in diem, Inſtit. eod. Vnde corruunt omnes a Baldo adductæ auctoritates, cũ ex ratione, quæ eſt anima legis, cetera omnia ducantur. d. l. ſcire oportet, §. ſufficit, & l. hæc actio, ibiq. Bart. de calumn. ſi quis etiam conſiderabit Genuenſes ciues facile potuiſſe ſtatuere, ſi uoluiſſent, poſt lapſum terminum nil ualere quod agitur, nemo negare poterit ualere ex Sapientis Conſilio ita latam ſententiam.

Quid in ſententia lata ex Conſilio uel pro, uel contra eum, qui interim deceſſerit. Cap. x.

NONNVNQVAM accidit, ut pro, uel contra aliquẽ Conſilium exhibeatur, qui iam de uita migrarat, & non ualet (ut opinor) ex eo Conſilio lata ſententia, ſicut ex edicto peremptorio poſt mortem condemnatus, nulliter cõdemnatus eſt. l. in ſumma, in fi. de re iudica. Et plane regula eſt, mortuum inefficaciter condemnatum uideri, etiam ſi ab aliquo defenderetur. l. pen. quæ ſent. ſin. app. reſci. l. de qua re, §. ult. de iudic. Quamuis autem in heredem iudicium transferatur, ut dicit Accurſ. in d. l. in ſumma, ex l. tam ex contractibus de iudic. ibi tamen Caſtrenſ. erudite declarat, ut petere debeat actor heredem

ipsum condemnari, atque ita poterit incohatum cum defuncto iudicium cum eisdem actis in heredem transire. l. si eum hominem, de fideiuss. l. lucius, §. rogatus, ibique Bart. ad Trebell. Imol. in l. pœnales in princ. ad l. Falcid. licet secus dicendum sit, ut notat Accurs. eodem in loco, in decreto in fauorem mortui interposito ex l. cum quasi, in princ. de fideicomm. libert. quod reprobant Bart. & Alex. in d. l. in summa. qui fieri non posse, ut mortuus cõdemnetur uel absoluatur, perspicuis rationibus ostendunt, & ar. l. furioso, eod. titu. de re iudica. Vnde nulla dicetur huiusmodi sententia, siue contra, siue in fauorem lata sit: tum quia nullum est omne quod sequitur ex actu nullo, l. non dubium, C. de legib. tum quia & ex se sine Consilio nulla censeretur: id confirmante communi scriptorum opinione redacta in Decis. Balb. nu. xxvii. quod autem fauore libertatis in titu. de fideicommiss. libert. statutum est, non putant iidem Bar. & Alex. trahendum esse ad consequentiam. l. ius singulare, l. quod uero contra, de legib. caueat itaque iudex, ne, dũ istiusmodi magni momenti obseruationes contemnit, maxima in dispendia litigantes ducat, ita ut ex integro pronuntiatio sit tentanda. l. iiii. C. quom. & quan. iud. Bald. in terminis cons. cccclxxxi. in fi. lib. I. nisi forte partes sententiam approbare maluerint, ut saltem in uim pacti uires habeat iuxta nota. in l. ii. C. comm. utriusque iudic. & in c. significasti, de for. compet.

Quid in sententia lata ex Consilio Sapientis corrupti. Cap. XI.

VENALEM sententiam, quæ a corrupto iudice profertur, etiam si iusta appareret, infirmam esse a Diuis Principibus decretum est in l. uenales, ibiq. Castrens. C. quan. prouoc. non est neces. quam eo magis infirmam censeo, si ex corrupti Sapientis Consilio lata est: quãdoquidem indignius uidetur, ut qui uelut ceteris sapientior legibus tantum, ac rationibus duci debet, se muneribus aut alia quauis

quauis corruptione ab honesto deduci patiatur. quod quã periculosum sit, Ciceronis uerba indicant, cum ait. o rem præclaram, uobisq. retinendam iudices. quod enim est ius ciuile, quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia posſit? Et cum hac in re Consilium sit sententiæ præcipuum fundamentum, nulla quoque erit ex eo lata sententia. l. i. C. de appell. c. cum quid, de reg. iur. lib. vi. Bald. plene in conſ. ccccl x x xi. lib. i. Ideo præcipue id obseruauit diligens Spec. notans sententiam latam ex Sapiente corrupto non esse defendẽdam, in uer. quid ergo, de requiſ. conſ. & utpote rem mali exempli, nec introduci, nec permitti debere. l. si quis aliquid, ii. §. iii. de pœn. l. i. post princ. ad leg. Cornel. de falſ. ne pecunia tentetur quod uirtute effici debet, & ne ex corruptione quis consequatur commodum, contra omnem bene uiuendi rationem. l. i. & ii. C. de pœn. iud. qui ma. iudic. Et licet arbitri sententia quandoque ualeat, tametsi arbiter pecunia corruptus fuerit, ille tamen qui ui sentẽtiæ in iudicio experitur, doli mali exceptione summouetur. l. ita demum §. i. cum glo. de arbitr. l. iii. C. eod. Hinc admoneri potest Sapiens, ne munerum oblatoribus facile arrideat; tum quia contra officii sui dignitatem res est. l. plebiſcito, de off. Præſid. c. statutum, §. insuper, de reſcript. lib. vi. tum quia tanquam is, qui publico fungitur officio, in grauem aliquam pœnã incidere facile poſſet. l. omnes, C. ad l. Iul. repetund. glo. in d. l. uenales. Quid enim perniciosius excogitari potest, quàm inique iuris prudentem accepta pecunia sub probitatis specie consulere? nam potius mors ipsa subeunda est, quàm ut iniqua, impia ue perpetrentur. c. ita ne, x x xii. q. v. c. lotarius, x x xi. q. ii. & a Sapiente maxime, qui cum sapientiam & prudentiam auro, & argento (ut dicitur in prouerb.) præstantiorem posſideat, omni prorsus corruptionis labe uacat.

Si iudex dixerit, Pronuntio ut in Consilio, an ualeat sententia uti definitiua. Cap. XII.

ANTIQVA est inter iuris interpretes disceptatio, an ualeat sententia uti definitiua, si Sapiens consuluerit, ut puta Titium esse condemnandum, & iudex dixerit, pronuntio ut in Consilio, nec addiderit, Et ita condemno, cum ex illis uerbis, quæ referuntur ad Consilium, iudex non condemnauerit, sed esse condemnandum pronuntiauerit. quo casu sententia interlocutoria, & non definitiua censetur. Bart. in l. solent, in princ. de off. procons. Butrig. & Bald. in l. cum iudex, C. de sent. & inter. omn. iud. cum naturæ sententiæ sit, ut absolutionem, aut condemnationem, uel saltem æquipollens contineat. l. Præses, C. eod. titu. l. in summa, de re iudic. & non est sententia definitiua, quæ indiget declaratione, ar. l. qui ex liberis, §. plane, de bonor. possess. secund. tabul. l. tale pactum, §. qui prouocauit, de pact. ac ideo minime sufficere uidetur huiuscemodi ambiguus sermo, ut sententia definitiuæ uim habeat. Bart. in l. i. C. si aduer. liber. & propterea in hoc sententiæ genere non erit locus stipulationi iudicatum solui, quæ eatenus committitur, quatenus iudex pronuntiauerit. l. iudicatum solui, ii. iudicat. solu. Contra adducitur quod uulgo dici solet; ea quæ in præfationibus dicuntur, in sequentibus, intelliguntur tacite repetita. l. cum seruus, de condit. Instit. l. talis scriptura, de leg. i. inferendo uerba in Consilio apposita uideri in sententia tacite repetita: cum maxime ex repetitione utile sit quod agitur, ac ex ea legitimus emergat intellectus. l. Titia, §. idem respondeo, de uerb. oblig. & l. cum patrem, C. de condit. insert. dicebantq. alii quidam, huiusmodi uerba iudicis ad confirmandum Consilium pertinere, ar. §. tua tantum, Institut. de mandat. l. lege obuenire, de uerb. signif. Sed quid prodest (dicet aliquis) uerborum repetitio, quid ue confirmatio, si eadem etiam repeterentur

uerba,

uerba, quæ tantum condemnationem esse faciendam disponunt? probatur tamen etiam hæc opinio ex l. eos qui, in princ. cum glo. C. de appellat. ubi lex super omni causa iudici permittit pronuntiare iustam, uel iniustam tantum appellationem, & quærit Accurs. an necesse sit addere, Et ideo condemno, uel absoluo, & concludit non esse necessarium ex textu illo, ex l. chirographis, in fi. de admin. tutor. l. Pomponius, §. sed, & is, de procur. licet dixerit ipse, prudentius iudicem facturum, si omnia ponat. Adde etiam, quòd cum actorum appellatione ueniat Consilium, l. ii. c. ut lit. pend. l. a proconsulibus, C. de appella. uerba Consilii sufficere uidentur, quia satis est, sententiam in aliqua actorum parte certam esse. d. l. in summa. Et hæc opinio placuit Baldo contra Bartolum in d. l. i. C. si aduer. lib. ex l. fundus, de rescind. uendit. & l. quæro, de ædilic. edict. Verba Sapientis (ait Baldus) diriguntur iudici, ac respiciunt tempus futurum: ideo quando iudex loquitur, uidetur loqui per uerba præsentis temporis; quod & quidam addentes Bart. eodem in loco obseruarunt. et ita sensit Imo. in l. i. §. ii. de uerb. oblig. Alex. in l. res iudicata, in fin. de re iudi. & Aret. in §. i. Instit. de leg. fus. can. toll. Adiuuatur etiam istius opinionis ratio, si consideretur, mentis uim, non uerborum corticem spectari debere. l. si ita quis, de euict. l. cum uirum, C. de fideicom. & ex quadam iuris fictione factam esse condemnationem. Imo. in l. i. §. ii. de uerb. oblig. At Ioannes And. in addit. ad Spec. de except. §. porro in Italia, posteaquam Alberti, Iacobi, & Guiel. opinionem recitauit, distinxit definitiuam ab interlocutoria, ac censuit uerba, Et ita condemno, necessaria esse in definitiua, quæ in scriptis fertur. l. ii. C. de senten. ex per. reci. & non esse necessaria in interlocutoria, quæ sine scripto fieri solet. glo. i. in c. ult. de re iud. lib. vi. sed si rem redigamus ad usum, non poterit quoad hoc inter definitiuam, & interlocutoriam reddi ratio diuersa, ex iis, quæ diximus supra lib. ii. cap. xvii. Quam igitur partem amplectemur, in tantorum uirorum dissensione? Existimarem ipse rigore iuris

sententiam sustineri non posse. Ioann. And. in d. §. porro. Bart. in d. l. i. & Balb. Decis. i. secus autem esse dicendum benigniori, & æquiori interpretatione, quam facile ius nostrum admittit. l. Scæuola, ad Trebell. l. placuit, C. de iudic. ac ideo patet a pluribus hanc sententiam probari. eam enim sequitur Puteus ex mente Cyni, Baldi, Ang. Imo. Ludo. ac Butrii in trac. de syndic. in parte de libe. form. contr. potest. §. an si iudex ex forma, num. iiii. sequuntur Panor. & Felin. in c. cum uenerabilis, col. xvi. de except. atque esse communem sententiam testatus est Aret. in d. §. i. quattuor tamen aliis modis a Felino eodē in loco declaratur hæc benignior opinio, ad cuius copiosam doctrinam ne longiores simus, quàm res ipsa postulat, lectorem remittimus.

Si in Consilio dicatur, Non uideo cur Titius non sit condemnandus, uel alia similia uerba, an sententia lata iuxta Consilium ualeat uti condemnatoria. Cap. XIII.

ALIA quoque species est, in qua dicemus sententiā uti condemnatoriam ualere, cum iudex ex Consilio pronuntiauit in quo dixit Sapiens, Non uideo cur Titius non sit condemnandus. Bar. in l. i. §. si quis ita, de uerb. oblig. Vbi inquit Vlpianus, Si quis ita interroget, dabis, & ille responderit, quid ni? in ea quidem causa est ut obligetur. Quod etiam probatur ex iudicio Scæuolæ similibus uerbis expresso in l. uxorem, §. concubinæ, de leg. iii. id etiam confirmat alia Bartoli, Castrens. & Ias. Decisio in d. §. si quis ita. Quidam interrogatus, an uelit relinquere Sempronio bona sua, respondit, cur non? uel cui magis relinquerem bona mea? debentur utique bona Sempronio, quia sufficit per uerborum interpretationem consensum colligi. l. Pamphilo, §. propositum, de lega. iii. glo. in l. his uerbis, in princ. de hered. institu. Et hanc prin-

principalem nostri capitis opinionem probarunt Ange. Imo. Alex. Ias. & ceteri omnes in d. §. si quis ita. Quibus omnibus consequens erit, ut si dixerit Sapiens, Credo Titium esse condemnandum, uel alia eiusdem generis uerba protulerit, sententia ex eo Consilio lata ualeat uti condemnatoria, modo non repetat iudex eadem uerba; quia ipse loqui debet per uerba præsentis temporis, & Sapiens per uerba respicientia tempus futurum: ut docuit Alex. in d. §. si quis ita: qui contra Iacobum ab arena, Cy. & Ang. optime cũ Bartolo censuit sententiam, in qua iudex similia uerba expresserit, non ualere, licet ualeat in dubio, & benignori quidem interpretatione; cum absque alia uerborum expresſione, seu repetitione simpliciter pronuntiauerit iudex ut in Consilio. & annotata superiori cap. demonstrant. Quid erit autem dicendum, si Sapiens consuluerit per uerbum, Forte? Idem erit. Alex. post Bald. & Imo. in l. in substitutione, in princ. de uulg. & pup. Quid si per uerbum, Videtur? idem præcise respondit Panor. in c. i. in ult. not. de iudic. nec diuersum respõdebitur, si fuerit consultum per uerba, Non puto fieri posse, Gemin. in c. ii. in princ. de consuet. lib. vi. Bar. in l. cum quidam, §. quod dicitur, de acquir. heredit. Quæ omnia satis ostendunt, siue dictum sit, Non uideo cur Titius non sit condemnandus, siue quid aliud simile, ex quo euidens Sapientis mens colligi posſit, ualere pronuntiationem uti condemnatoriam.

An iudici de nullitate suæ sententiæ cognitio competat; et cognita nulla, an ex eodem Consilio sententia denuo posſit publicari. Cap. XIIII.

Pro clariori intelligentia eorum, quæ supra dicta sunt, declarabitur hic, an iudex, qui ex Cõsilio pronuntiauit, posſit de nullitate suæ sententiæ profiteri. Super quo dubio consuluit Baldus in facto, cum extra terminum a lege statutum, dato Sapientis Consilio, ex eo fuit lata sen-

tentia in conf. clxxii. lib. 1. & in conf. ccccxlii. lib. v. Et iudicem posse Baldus arbitratus est, ex generali Imperatoris ratione in l. si Præses. C. quomo. & quan. iud. ubi ex eiusdem sententia extrahitur regula, iudici cognitionem competere utrum eius sententia ualeat. sicuti etiam eidem non denegatur, posse denuo de causa cognoscere, nisi ex aliquo actu cognitio iam deuoluta esset ad superiorem. l. absentem, C. de accusa. l. si expressim, de appella. l. i. C. de senten. & inter. omn. iud. & non solum in ciuilibus negociis, sed etiam in criminalibus, l. si accusatoribus, C. de accusat. Baldus, qui non solum ibi consultoris, sed etiam magistri munere functus est, docuit prædictam conclusionem restringendam esse ad speciem, super qua consuluit; quando scilicet Sapiens Consilium tradidit extra terminum a lege ordinatum. l. qui fundum, de contrah. empt. l. scire oportet, §. consequens, de excusa. tut. uel quando propter ferias, simili ue ratione sententia nulla esset. l. i. in princ. cum materia, de feri. non quando potuit Sapiens consulere, ac iudex iudicare, & quæratur an nullum, iniustum ue sit Consilium, uel nulla sententia, ut pote facta contra apertum ius. Bar. & Ang. in l. cũ prolatis, de re iudica. Panor. & Felin. in c. per tuas, de sentent. excom. tunc utique non posset iudex se impedire, quia eius potestas obstricta censetur, ar. l. i. §. si plures, de exerci. c. cum in ueteri, de elect. l. Titium, & Meuium, de administr. tut. Bald. in d. conf. ccccxlii; atque cum agatur, ut merita causæ reuocentur, in sententiis suis, uel decessoris non poterit se impedire: & ideo regula erit, iure posse iudicem, non quidem delegatum l. si ut proponis, i. C. quom. & quand. iud. de nullitate eius sententiæ ex Consilio latæ cognoscere. licet cõsuetudine hoc penitus abrogatum censeam. Sed utcunque sit cognita nulla sententia, ex quo solemnitas defecerit, ut puta quia lata fuerit absente parte, utilius scitu erit, an ex eodem Consilio posit denuo alia publicari sententia. posse enim uidetur, quia actorum appellatione continetur Consilium. Bar. de conf. haben. uers. nono, & nulla

remanente

remanente sententia defectu citationis, debet ex eisdem actis iudicari. Bart. in l. si expreſsim, de appell. item si sententia, pendente commiſsione, lata ualet, licet appellatione reſcindatur, Bald. in l. ex illo, c. de appellat. Bar. in l. i. in princ. C. de relation. patet multum differre sententiam a Conſilio, prout quidem differt (ut inquit Angelus) nomine, ſubſtantia, & natura, in conſ. ccl. Confirmatur etiam ex eo, quòd, nulla pronuntiata teſtium productione, iidem teſtes ſuper eodem articulo poſſunt examinari, etiam si eorum teſtimonia publicata ſint. glo. ii. in clem. ii. de teſtib. Bart. in l. qui per ſalutem, in fi. de iureiur. contrarium uerius iudicari: ſiquidem ſententia ex Sapientis Conſilio lata, non conſiſtit in illis ſolis uerbis, condemno, uel abſoluo, ut in Conſilio continetur, ſed in toto tenore, tota ui, & natura Conſilii: quod ſane repetitum cenſetur, & ſententiæ inſertum ex relatione ad ipſum a iudice facta. l. aſſe toto, de hered. inſtitu. & l. ſi ita ſcripſero, de condit. & demonſtr. quod idem ſine dubio efficit, ac ſi expreſsio facta ſit, ſeu repetitio. Deciſ. Dalph. q. cccxxxiiii. & cccclix. Et Conſilio publicato non debet cenſeri amplius Conſilium, ut Conſilium, ſed ut ſententia: ſicut & in ſcriptura priuata dicimus, quæ cũ a teſtatore publicatur, eius forma diuerſa ſit, ac eius nomen mutatur. l. hac conſultiſsima, §. per nuncupationẽ, ibiq. no. C. de teſta. Præterea forma, quæ dat eſſe rei, l. Iulianus, ad exhib. non ne ex alio mutata patet? non eſt amplius clauſum Conſilium, reſignatum eſt, & lectum, ac omnibus patefactum; quod repugnat ordinibus a nobis ſupra lib. iii. cap. xxii. expoſitis. Item ſi Conſilium Sapientis ex ſe nullas uires habet, & nullas pariter ſententia iudicis ſine Conſilio, fateri neceſſe erit, ita alterum alteri commiſceri, ut idem ſint, ex nota. ſupra lib. i. cap. xvii. xxii. & xxiiii. additis argumentis, quæ ſumere prudens lector poteſt ex l. inſtitutio, de condit. inſtit. & l. lege, de uerb. ſignif. cum ſi. tametſi idem iudex poterit ex alio Conſilio pronuntiare, ut notat Ang. in conſ. clxxxvi. Vnde minime obſunt oppoſita ex iis ultimis fundamentis

recte intuenti sublata. id tantum dicam, iuribus adductis a Bar. non probari, actorum appellatione contineri Consilium, præterquam quòd alias dixi tractatum illum non esse Bartoli, & quando contineretur, contineretur quidem ut partibus communicetur, non quòd sit de actis illis, ex quibus sit denuo ferenda sententia.

An a sententia lata ex Consilio Sapientis appellari possit. Cap. XV.

APPELLANDI usus frequens, ac necessarius ab Vlpiano nuncupatus in l. i. de appell. locum habere non uidetur lata ex hoc Consilio sententia, utpote quæ non ex præcipiti uel leui aliquo iudicio, sed ex uiri prudentis Consilio emanauit, cuius honestissima conditio supra lib. I. late patet. Et cum Sapientis electio fiat ex libellis confidentium utriusque partis, ut traditum est lib. III. non uidetur ferendus ad appellationis ueniens auxilium in iis quæ ipse faciẽda procurauit. l. generaliter, C. de reb. credit. pro quo non leue etiam colligi posse uidetur argumentum ex l. i. quod quisque iur. l. iusiurandum, §. ait. Prætor de iureiur. & c. intimasti, cum ibi nota. de appella. nihilominus sicut sententia de Consilio Sapientis potest dici nulla, ut, præter supra tractata, in specie annotarunt quidam addentes Panor. in d. c. intimasti, ita ab ea appellari poterit, etiam si iudex cogatur sequi Consiliũ. Bar. in l. i. §. quæsitum, & in l. ex consensu, de appella. Imol. in d. c. intimasti. quandoquidem ea iura appellare permittunt, etiam si ad alterius consultationem fuerit rescriptum, uel etiam si fuerit sententia iudicis delegati partium consensu electi. Aliud est enim causam committere, Sapientemq. eligere, & aliud appellationi renuntiare. c. causam quæ, de re iudi. cum Panor. ibi & in d. c. intimasti. Adde Bartolum in l. si conuenerit, de re iudi. ubi dicebat (quod magis est) si consenserint litigantes sententiã ferri secundum Consilium exhibendum, uel exhibitum, iamq. etiam apertum, appellari potest a sententia ex tali Con-

Consilio lata; quia forte id probaturos putarunt in appellatione, quod eo usque probare non potuerunt. nisi ergo expresse ante sententiam partes appellationi renuntiauerint, l. ult. in fi. C. de temp. app. uel post saltem tacite acquieuerint, appellatio non denegabitur. l. ad solutionẽ, C. de re iudic. siquidem semper his casibus æquitatis, & arbitrii boni uiri intelligitur facta exceptio. l. societatem, §. arbitrorum, pro soc. nota. in tracta. de cons. haben. uers. xv. non cessat quidem hoc casu appellationis ratio, ad quam est præcipue respiciendum, comprobantibus quoque iis, quæ notantur a Castren. & ceteris in l. i. de app pell. recip. & iis quæ de reductione ad arbitrium boni uiri in præstatione operarum, atque in rationum cõputatione traduntur. in l. si libertus ita, de oper. libert. & in l. hæc uenditio, de contrah. empt. & quæ notantur a Cuma. in d. l. si conuenerit. Non tamen procedere uidetur pronuntiatum, si ex Consilio Principis sentẽtia lata sit, ut notat Catald. ex mente Butrii de syndic. num. clxiiii. Distinguit tamen Panor. (& distinctionem puto ueram) inter immediatam responsionem Principis, & sententiam ex Principis responsione latam in d. c. intimasti. quinimmo ut dixerunt quidam, si a sententia alicuius appellari non posit, tamen si ad consilium alterius lata est, & ille male consuluerit, potest appellari. c. biduum, uers. rursus, ii. q. vi. nisi malum consilium ex malo puncti dictamine processerit, & partes antea habuerint copiam puncti, & non appellauerint. d. c. biduum, in fi. glo. in d. c. intimasti. Nec ex hoc credas a Consilio reddito appellari posse, cui tantum contradicere licet. Bald. in add. ad Spec. in §. restat, in addit. magna, uer. lata sententia.

An lex laicorum, quòd a sententia de Consilio Sapientis appellari non possit, comprehendat clericos. Cap. XVI.

PAVCIS hic ea absoluetur quæstio, an in municipii lege de Consilio Sapientis uetante appellationem cleri-

cus cõprehendatur: tum quia in specie a Corneo fuit non indiligenter excussa cons. clxxxvii. col. ult. lib. iiii. tum quia hæc iam tractata est materia supra lib. II. cap. xiii. ideo ut ea potius confirmentur, quæ ibidem dicta sunt, quàm ut hic noui quicquam afferatur, dicemus claro iure constare, tantum quem statuendi auctoritatis habere, quantnm iurisdictionis. Bart. & Bald. in l. omnes populi, de iust. & iur. atque legem eo in loco uires habere non posse, ad quem minime extenditur legislatorum iurisdictio. Bald. in l. necessariam, §. deinde ex his, de orig. iur. qua ratione nõ uidetur, in huiusmodi lege clericum haud sæculari foro subiectum, comprehendi posse. c. si diligenti, de for. com. c. si iudex laicus, de sent. excom. lib. VI. Sed cum dixerimus eodem cap. xiii. in concernentibus ordinem litis, clericum municipali lege obstringi, ut Corneus non solum probauit, sed etiam auxit ex Spec. in §. qualiter, post princ. de sentent. & Innoc. in c. conquestus, de feri. eò res deducitur ut intelligatur, an appellatio ordinem, uel litis decisionem respiciat. Et sensit Corne. appellationem ordinem respicere: siquidem appellare posse, & non posse ordo est, quo certiores fiunt litigantes, an amplius merita tractare ualeant. sed plane inanis ex eiusdem sententia est ista ratiocinatio, propterea quòd putat ipse & in decisoriis etiam pro bono publico statutis, clericum in foro sæculari agentem, laicorum lege obstringi, ex probata doctrina Bartoli & Baldi. in l. i. C. de summ. trin. atque ex luculenta addit. Ioannis And. ad Spec. in §. i. uers. & nota, de constitu. ex Hostien. Butr. Imo. & Cuma. ab eo adductis. quod nunc disputare operæpretium non existimo, maxime quia eam communem opinionem appellauit Corneus, a qua recedere non licet. glo. in l. omnis definitio, de reg. iur. & in c. ne innitaris, de constitut. cum si. Quæ uero a Spec. ac Innoc. dicuntur in locis proxime citatis, & laicis hominibus communia sunt; ut locus contractus, similia ue attendantur, non ut ueræ huic conclusioni modo aliquo aduersentur. quinimmo undecunque concludemus, clericum in

sæcu-

sæculari foro litigantem hac utilissima laicorum lege omnino obstringi.

Si iudex, ita petente parte Consilium, alterius Consilio corrigi mandauerit, & iuxta primum pronuntiauerit, an appellari possit. Cap. XVII.

Si, ordinaria uia omissa, dixerit quis Consilium iniquum & iniustum, illudq. corrigi petierit Consilio alterius, ac noua electione facta iuxta primum Consilium sen tentia feratur, appellare amplius non poterit, ar. l. quod in heredem, §. eligere, de tributor. & l. iiii. §. i. de leg. commiss. Eodem pertinet quod de legatariis dicitur, qui bus lex plures actiones ea mente concessit, ut laxior eis agẽdi facultas sit, & ut ex una, quæ interim electa sit, lega tum petant. l. cum filius, §. uariis, de leg. ii. una enim ele cta uia, deligi alia non amplius potest. l. in delictis, §. si detracta, ibiq. nota. de noxal. l. nemo ex his, in fi. de reg. iur. Contra tamen argumentatur Bart. de conf. habend. in fin. dicens, eum, qui in querela inofficiosi testamenti succubuit, a falsi accusatione nõ summoueri; & e contrario falsi crimine instituto uictum de inofficioso actionem instituere non prohiberi. l. eum qui, C. de inoff. testam. Et soluit, quòd ibi non dicitur utraque uia agi posse. quæ so lutio, si recte legatur textus, non satisfacit; sed ratio (ut arbitror) ueraq. solutio est, ibi ex eo utraque uia agi posse, quia cum diuersæ sint causæ agendi, ac diuersi prouenient effectus, non impeditur alterius actionis propositio. l. iii. de petit. hered. ut Bald. & Castrens. exposuerunt. in d. l. eum qui: quod in specie nostra non est, in qua cor rectio fuit petita, & nouus Sapiens electus, ac inter easdem personas nouum Consilium datum, unde idẽ ius ori tur, & eundem effectum oriri necesse est. l. cum quæritur, l. quantitas, & l. seq. de except. rei iudic. Accedit, quòd appellatio, & consultatio a pari procedunt. Ioann. And.

in rub. de appella. & in c. legitima, eo. titu. lib. VI. in nouell. c. licet, de off. deleg. l. ex illo, iuncta gloss. speciale rescriptum. C. de appellat. Vnde sicut appellatio suspendit sententiam, ita Consilii petitio. Roma. late consil. CCXXXV. Et quia a Consilio reddito appellari non potest, Socin. cons. XXIIII. sed tantum Consilio contradici, Bal. in add. ad Spec. in §. restat, in addit. magna, uer. lata sententia, hanc correctionis uiam elegit, quæ superuacanea fuisset, si appellationi locus esset; & cum appellationis loco successerit ea sola eligenti patere debet. l. Rescriptum, §. si pacto, de pact. l. si mulier, in fin. quod met. caus. rei enim effectum ex communibus iurium locis, magis quam modum semper attendimus. Roman. in l. Gallus, §. instituens, de lib. & posth. l. quoties, §. si quis nomen, ibique Imol. de hered. instituen. Nil quidem aliud habuisset, qui Consilium corrigi petiit, si prouocasset, nisi ex alterius Consilio ipsius correctionis spem, quam (ut re ipsa patet) sibi hac uia potius parandam duxit.

Quid si post appellationis renuntiationem dolosum Consilium, insignis ue læsio appareat. Cap. XVIII.

PACTVM, ut a sententia ex Consilio Sapientis appellari non liceat, locum non habebit, quando dolose consultum fuit, uel insignis constat læsio, si Bartoli distinctionem perpendamus in arbitratore traditam, in l. si societatem, §. arbitrorum, col. VI. pro soc. quæ talis est, ut si dolo inique ab arbitratore sententia lata fuerit, siue (dicemus nos) a Sapiente inique consultum, nullius momenti sit renunciatio. l. si unus, §. illud nulla, de pact. l. conuenire, de pact. dota. Si uero dolus non appareat, ac de parua constet læsione, suum sortiatur effectum renunciatio: magna enim si appareret læsio, dolus præsumeretur, ac pacti uires cessarent. l. pen. & l. si ex causa, in princ. de minor. l. omnes, §. lucius, quæ in fraud. credit. iuncta l. qui superstite, C. de dol. cui distinctioni uno consensu
ad-

adſtipulantur Hoſtienſis, Butri. & Imo. in c. Quintauallis, de iureiur. Dyn. in c. ſcienti, de reg. iur. lib. VI. fuitq. ab omnibus iuris utriuſque interpretibus probata ſententia. Alber. in eod. §. arbitrorum, & Ioann. And. add. Spec. in §. ſequitur, uerſ. item quid ſi compromiſſum, de arbitr. Nec eſt conſtituendum diſcrimen, ſiue ſimpliciter, ſiue cum iuriſiuran. interpoſitione renuntiatio facta fuerit. l. ult. C. de non nume. pec. l. ult. ibiq. nota. qui ſatiſd. cogant. notaq. Ioann. And. in d. §. ſequitur. propterea quòd indifferenter tacita ſemper ineſt conditio, niſi renuntians grauiter lædatur. Bald. in d. §. illud nulla, Guid. Papæ in Deciſ. q. DXIX. & cum iuſiurandum ſecundum rei naturam, & qualitatem, atque iuris diſpoſitionem intelligatur, c. uenieris, & d. c. Quintauallis, de iureiur. non præſumitur de dolo, inſigni ue læſione a renuntiante cogitatum; ideo quodcunque aliud, & præſertim religionis adminiculum ad incogitata haud referetur. Bald. in l. ii. uerſ. nono quæro, C. de reſcind. uendit. Guid. Papæ in Deciſ. q. CCXXVII. & ſeq. alioqui iuſiurandum eſſet uinculum iniquitatis, contra præcipuas Pontificii iuris ſanctiones. c. quanto, & c. quemadmodum, de iureiurand. maxime quòd nemo putandus eſt id dixiſſe, quod mente non agitauerit. l. Labeo, §. idem Tubero, de ſuppell. leg. ſane tantum abeſt ut iureiurando iniquitati, dolo ue malo uia aperienda ſit, ut illius religionis proprium eſſe uideatur iudicium, iuſtitiam, & ueritatem continere. c. innocens, XXII. q. IIII. c. animaduertendum, XXII. q. II. Itaque ex dolo, inſigni ue læſione omnia poſſe reuocari, etiam ſi iureiurando firmata ſint, communis & peruulgata omnium ſcriptorum eſt opinio, quam adductæ deciſiones, multis refertæ doctrinis, clariſsime oſtendunt.

Læsionis effectus.

An clausula, Qualecunque sit Consilium, tollat appellationem, uel reductionem ad arbitrium boni uiri; & quæ inducat comprobationem. Cap. XIX.

FVIT opinio Accursii, & Baldi, ut si quis promiserit acquiescere sententiæ, & adiecerit Qualiscunque erit, omni appellationi uideatur renunciasse, in l. tale pactum, §. qui prouocauit, de pact. quod extendit Baldus ipse in eiusdem, §. repetitione, in uers. item dabitur, cum dictũ fuerit Qualecunque a Sapiente Consilium dabitur, ar. l. qui procuratorem dat, in fi. de Procur. & l. generaliter, §. i. C. de reb. credit. ac etiam confirmatur ex nota. ab eodem in l. si feriatis, §. cum pœna, de arbi. Sed ego, ut acquiescam huic sententiæ, a me ipso non impetro, ea potissimum ratione, quia ut aliquis appellationis auxilium amittat, expressa renuntiatione opus est. l. ult. in fi. C. de temp. appella. ideo in huiusmodi clausulis casus includi non solet, in quo requiritur particularis mentio. Anch. & Gemin. in c. ii. de præben. lib. VI. Socin. cons. xxiiii. col. i. lib. I. Quod autem dicit Baldus uerba, Qualecunque sit Consilium, &c. debere aliquid efficere, ut ociosa non sint, l. sed, & si quis, §. quæsitum, ibiq́. nota. si quis caut. l. si cui, de seruit. solui potest, ea uerba satis efficere, si iudex id sequatur Consilium, qualecunque fuerit, non ut lata ex Consilio sententia legitimum appellationis remediũ amittatur; quinimmo si diligenter aduertamus, præcipua requiritur exceptionum renuntiatio, in §. quæsitum, & uerba simpliciter prolata, ciuiliter intelliguntur in l. si cui. sed si fatetur idem Baldus in d. §. qui prouocauit, huiusmodi uerba in compromisso non tollere reductionem ad arbitrium boni uiri, ex nota. ab eo in l. si unus, §. illud nulla, eod. titu. & arbitria redacta sint instar iudiciorum, l. i. de arbitr. cur erit, eadem maxime suadente ratione, in ordinario iudicio diuersum? cogor itaque contra Accur. & Bald. huic subscribere opinioni,

quæ

quæ Iacobi Butr. originalis fuit. et comprobatur ar. l. iii. in fi. rem rat. hab. & l. cum apud, iudica. solu. Unde consequens est, ut clausula, Sententiam ferat, ut talis consuluerit, de qua Raph. in l. si conuenerit, de re iud. seu clausula, Sententiam ferat secundum Consilium Sapientis, cuius sententiæ partes stare promittunt, de qua Bar. in l. si conuenerit, de re iudi. sententiæ comprobationem non inducat, si sententia iniqua sit, ar. l. si libertus, de oper. liber. Roma. in rub. de arbitr. col. viii. Ceterum, si lata sententia, eiusq. tenore a parte non ignorato, aliquod huiusmodi uerborum expressum fuerit, & appellationi, & reductioni ad arbitrium boni uiri renuntiatum existimo, ita suadentibus prædictis omnibus rationibus, & auctoritatibus, ac præsertim Bart. in l. si conuenerit, & Bal. in §. qui prouocauit, faciuntq. nota. in l. si societatem, §. arbitrorum, pro soc. Nec silentio prætermittam declarationem a Socino in eodem Consilio obseruatam, ut in generali, ac etiam simplici Consilii ratificatione non intelligatur dolus remissus. l. i. ibiq. nota. C. si maio. fact. Cuius quidem doli remissio qualibet in dispositione est prohibita. l. filius, de cond. institu. Guid. Papæ in Decis. q. DXV. Et quia laudari potest Consilium ut redditum, non ut sic redditum, non ab re pro huiusce rei comprobatione adducuntur ea, quæ obseruant Ang. & Imo. in l. si ita stipulatus, §. Grisogonus, de uerb. oblig. Et hæc sufficiant; nisi forte quis copiosam Cataldini doctrinam uidere cupiat, de syndic. nu. CLXV. cum sequentib. ubi tempus ante Consilium, post Consilium, ac post latam ex Consilio sententiam considerat, atque omnia fere uerba perpendit, quæ huiusmodi quæstiones parere possunt.

An in appellatione credatur primo consultori affirmanti aliquid in Consilio, si ex actis non constet. Cap. XX.

AFFIRMAT quandoque Sapiens in Consilio aliquid sibi demonstratum, uel inter partes pactum, quod nullibi

in actis constat. is uero, contra quem sententia est lata in causa appellationis, exclamat Sapientis affirmationi non esse credendum, sicut nec ipsi iudici ullo pacto credimus. Panor. & Felin. in c. cum a nobis, de testib. nec quidem procuratori, nec quandoque prosenectæ fides præstatur; quoniam id, quod fecerunt, comprobare uelle præsumuntur. Bar. in l. deferre, de iur. fisc. Panor. in c. dilectorum, de testib. cog. Et id præcise uerum existimarunt interpretes, quando in eadem causa iudicando eodem tempore, & contextu hoc a iudice fiat, ne duplici fungatur officio testis, & iudicis. l. quisquis, C. de postul. Bald. in l. ne in arbitris, C. de recept. arbitr. cum igitur in eadem causa cõsulendo eodem tempore, & contextu hoc a Sapiente fit, ea suadente ratione minime Sapienti creditur, ne inde iniuriarum nascatur occasio, unde iura nascuntur. l. meminerint, C. un. ui, l. ult. C. si per ui. uel al. mod. Innoc. in c. i. de fid. instru. ideo nec tabellioni creditur in actis parti præiudicium afferentibus, nisi alterius tabellionis subscriptione roboretur. Bald. in l. iurisiurandi, uers. quæro an uni testi, C. de testib. Guid. Papæ in Decis. q. cxxvi. si quis tamen perpenderet uerba Pontificis in d. c. cum a nobis, cum ait, scripturam iudicis eam non obtinere firmitatem, quin duorum testimonia præualere debeant, ex quibus innui uidetur iudici credi, & dari probationem in contrarium; uideat Innocentium ibi docentem, iure non caueri iudici esse credendum, etiam cum subscriptione testium, & existimantem textum loqui in tabellionibus, qui & ipsi iudices sunt. c. ii. cum glo. de fide instru. quam nihilominus opinionem refellunt quidam dicentes contrarium probari non solum in eo c. a nobis, sed etiam in c. post cessionem, de probation. & in c. curæ, xi. q. iii. Mihi uero nunquam probabitur, in contentiosa iurisdictione iudici, uel Sapienti adeo esse credendum, ut indebite alterutra partium uel damnum patiatur, uel probationis onere grauetur. Si enim interdum dubium est, an credatur litteris Principis, (ut aiunt) patentibus, affirmationibusq. in eis contentis, Guid. Papæ in tract. Rescri-

pt.

pt. & clauſ. in uerbo quæro an credi debeat, ac interdum in quæſtionem ponitur, an credatur nuntio cui fidem adhiberi proprium eſt, Butr. & Panor. in c. cum parati, de appellat. Balb. Deciſ. ccxxvii. cum ſeq. quo modo ſimplicis, & nudæ iudicis, uel Sapientis affirmationi in alterius præiudiciũ fides præſtabitur? Nec Lapo quidem, nec Cardinali in clem. i. de probat. referente Guidone Papæ in dicto loco, hoc probari poteſt; & nec ipſi Innocentio Butrio, & Lanfra. ſi eos diligenter legamus in c. quoniam contra, de probat. Ea enim, quæ facti ſunt, nemini creduntur, niſi probentur. l. i. ibique nota. C. quæ ſit long. conſuet. l. an in totum, C. de ædifi. priua. Non obeſt c. poſt ceſsionem, quia loquitur ibi Pontifex in publicis litteris, ut ex his explorate cognoſceretur quendam excommunicatum eſſe. quo in caſu ceſſat ratio laudis, uel notæ ipſius iudicis: præterquam quòd ſpeciale eſſe in excommunicatione ob periculum participationis annotauit Innoc. in c. i. uerſ. item quod, de fide inſtr. ea in re etiam ut declarat ibi glo. requiritur teſtium ſubſcriptio, uel ut publicis conſtet documentis. d. c. quoniam contra, ex quo etiam tollitur quidquid contra adduci poſſet, & in ſpecie corruit obiectio c. curæ. & ſi Panormitanum in c. cum a nobis, & in c. poſt ceſsionem, alioſq. percurramus, uidebimus quemlibet in iudicialibus, & ubi requiritur cauſæ cognitio, ut in l. i. ibiq. nota. C. quæ ſit long. conſuet. l. an in totum, C. de ædifi. priua. exiſtimaſſe nullo pacto iudici eſſe credendum, Bald. in l. ſi qua per calumniam, C. de Epiſc. & cleric. non poterit igitur Sapiens ex ſimplici, ac nuda ſua affirmatione aliquod litigantibus hominibus afferre præiudicium; pro quibus regula eſt, fauorabilem fieri debere interpretationem, l. ii. §. ſi quis a Principe, ne quid in loco publ. l. quoties, C. de precib. Imp. off. Non excluditur autem ex hoc, quin Sapiens obſcurum Conſilium declarare poſsit, ut ipſius Baldi & Felini probant cõmentaria. quibus eundem Baldum addamus in c. ſi pro debilitate, in fi. de off. deleg. Sed quod ſemel Sapiens de-

clarauerit, amplius declarare non poterit. Ang. & Imo. in l. quidquid astringendæ, de uerb. oblig.

An sententia lata de Consilio Sapientis transeat in rem iudicatam. Cap. XXI.

NECESSARIA est illius articuli declaratio, an sententia ex Consilio Sapientis lata transeat in rem iudicatam: quandoquidem, in rem iudicatam non transire, cōmunis est sententia, ac debili admodum (ut opinor) nixa fundamento, sumpto ex Ioanne And. in add. ad Spec. de homic. in uer. noscunt, & ex l. falsam, C. si ex fals. instr. quibus ex locis ut inferius dicam, nec in argumentum quidem hoc probari uidetur. uide Ioannem And. dicentem, si quis a pluribus uulneratus fuerit, iudicem ex dicto medici affirmantis uulnus a Titio illatum esse mortale, Titium condemnasse, Titium autem, antequam ad suppliciū duceretur, petiisse peritiorem adhiberi; quo adhibito, ac referente uulnus a Titio illatum non fuisse mortale, sentētiam reuocari potuisse. Vide Imperatorem in l. falsam, statuentem ex falsis instrumentis, falsis ue testibus latam sententiam rescindi posse. quibus argumentis infert Butrius sententiam ex Sapientis Cōsilio non transire in rem iudicatam, in c. proposuisti, de probat. Roma. consuluit cons. ccxxviii. Alex. annotauit in l. si ab hostibus, solut. matr. & Philippus Dec. affirmat esse magis receptam sententiam, cons. cclxxviii. lib. ii. qui tamen patefacta ueritate hanc quæstionem accurate pertractauit. in d. c. proposuisti, ubi retulit contrariam Panormitani & Aret. opinionem, multaq. pro ea probabilia argumenta. Nos autem in ipsa disputationis serie non multum peruagantes, ad rei pondus statim accedemus. Verior nanque semper mihi uisa fuit Panormitani sententia: quam minime infirmant ea, quæ pro communi adducuntur, & ut eam probarem, præter cetera quæ adduxit Decius, impulit me ratio infinitatis euitandæ, & ne incertus sit rerum status. c. ii. de

de rescript. lib. VI. l. unica, C. de sent. quæ pro eo quód inter. l. i. de usucap. si enim ex Consilio prolatæ sententiæ in rem iudicatam non transirent, quid magis incertum, & infinitum, & quid magis in iudicio absurdum esse posset? inde patet iure nostro esse prohibitum pacisci, sentẽtiam non transire in rem iudicatam. glos. in l. si diuersa, C. de transact. Balb. Decis. ccccLXXV. Non placet responsio Ioannis Annan. in c. significasti, de homicid. posse scilicet huiusmodi infinitatem moderari, atque cũ causæ tantum cognitione nouum Consilium concedi, quemadmodum in sententia matrimoniali dixit Innoc. in c. tenor, de senten. & re iudic. & Panor. in c. iurauit, de probat. quia non tollitur ex hoc tam odiosa infinitas, quæ specie nouæ cognitionis admitteretur. & quia Decii commentaria satis patent, circa reliqua satis prolixe ab eo adducta, & cõfirmata non laborabimus. Id tantum monuisse sufficiet, ut in aperta iniustitia restitutionis uia partes in pristinum reponi posint, ut docet idem Panor. in c. ii. de purgat. uulg. & in c. ex litteris, de in integ. restitut. quæ restitutio quando ius parti quæsitum est, ut in re nostra, Principis potestati reseruata censetur. Panor. in d. c. ii. & Bar. in l. i. §. ult. de quæstio. facitq́. l. Diui fratres, de pœn. & l. Diuus, ii. de fals. Et hanc opinionem tam in regula, quàm in extraordinario remedio, adeo ueram existimo, ut, a qua lege, uel ratione scriptores communem illam didicerint, non inueniam, ac eam ab aperto errore omnino durici censeam. Etenim Sapientis nostri non sunt peritis in arte comparandi, cum ii potius iudicum, quàm expertorũ naturam induant, ut ostendunt ea, quæ supra lib. I. cap. ii. iii. iiii. & v. dicta sunt. & non est similis sententia ex Sapientis Consilio sententiæ ex relatione peritorum, quæ & interlocutoria est, & sui natura facile reuocatur. Ang. in l. quod si nolit, §. si mancipium, de ædil. edict. Balb. Decis. ccxli. Minus sunt nostrorum Sapientum Consilia cum iis singularibus casibus modo aliquo comparanda, in quibus falsitas, uel error manifeste apparet, ut in c. ii. de purg. uulg. & in l. admonendi, de iureiur. & cum no-

stri

stri Sapientes ex credulitate consulant, facile esse potest, ut primi electi, ex quorum Consilio fuit lata sententia, melius consuluerint. l. i. §. sed neque, C. de uet. iur. enucl. sed quid prod esset appellatio a sententia ex hoc Consilio iure permissa, de qua supra cap. xv. si sententia in rem iudicatam non transiret? si quis ideo rescriptum impetrauerit contra sententiam hanc, elapso termino ad appellandum, non solum carebit impetratis, sed etiam infamiam subibit, iuxta l. ult. C. sent. rescind. non poss. & l. ult. C. ut lit. pend. nisi legitima aliqua ratione restitutionis petitio pendeat, quæ aduersus sententias, quæ transiuerunt in rem iudicatam, iure concedi solet. Specul. in §. ult. de sentent. Guid. Pap. in Decis. q. ccclxviii. Balb. Decis. cxlix. Et cum huiusmodi obliquum remedium improprie fieri dicatur, Innoc. in c. pastoralis, de caus. poss. ceterisq. sententiis commune sit, & non in Sapientis Consilio præcipuum, ueritas opinionis contra communem magis elucescit, ut omnino lata ex Sapientis Consilio sententia transeat in rem iudicatam.

An executio impediatur, eo nomine quòd sententia non transierit in rem iudicatam. Cap. XXII.

ADMISSA pro uera communi illa opinione proxime exposita, ex Consilio Sapientis latam sententiam in rem iudicatam non transire, (quæ consulendo nulla contraria uigente consuetudine seruaretur, ex nota in l. ii. C. de pœn. iud. qui mal. iudic. & in c. ne innitaris, de constitu.) non uidetur posse sententiam ipsam executioni demandari, ex regula, quæ est, executionem fieri non posse, nisi cumprimum sententia, rei iudicatæ auctoritatem obtinuerit. c. quo ad consultationem, de re iudic. Lanfran. latissime in c. quoniam contra, sub uers. interlocutiones & appellationes, de probat. Non credas quidem hoc tam temere sensisse interpretes, qui aptitudinem, ut ita loquar, in reliquis præsumentes putarunt cũ

cau-

causæ tantum cognitione nouum Consilium concedi, atque ita infinitatem restringi. Ioann Annan. in. c. significasti, ii. de homicid. cum Innoc. & Panor. proximo capite citatis. sicq. intelligitur, quod dici solet, sententiam latam ex priuilegiatis probationibus non transire in rem iudicatam, ut per Innoc. in c. tua nos, de cohabit. cler. & Ang. in l. i. C. senten. rescind. non poss. Patet simile de sententia in possessorio, in qua licet appelletur, (quod magis est) non tamen impeditur executio. Bald. in l. ii. uers. ultimo quæritur, C. de episc. aud. Guid. Papæ in Decis. q. xxxvii. ac dubium non est, pro sententia præsumi, eidemq. acquiescendum esse, donec contrarium probetur. l. Herennius, §. Gaia, de euict. l. Papinianus. §. meminisse, cum ibi not. de in off. testam. Quod apertius cõstabit, si aliud simile non omittatur de sententia matrimonii circa iugalium frigiditatem, quæ licet non transeat in rem iudicatam, mulier tamen secundo uiro nubere potest. c. fraternitatis, ibiq. glo. in uer. per errorem, & in uerb. fornicatio, de frigid. & malefic. & ad materiam pertinent notata per Butrium & Imolam in c. consanguinei, de re iudi. Ac pasim adeo fauore digna prædicatur sententiæ executio, ut nullitas agendo coram superiore deducta nullo modo ipsius sententiæ executionem impediat. Ang. & Imol. in l. iiii. §. condemnatum, de re iudic. Innoc. in c. cum in iure, de offi. deleg. Verum si a Principe implorato suffragio (ut superiori capite dicebatur) contraria forte ex meliori Consilio sententia fieret, iam facta executio nouo suggerente auxilio delebitur, Bald. in d. l. ii. de Episc. audien. & Castren. cons. cclxxv. lib. II.

Quando Sapiens litem suam faciat, si male consuluerit. Cap. XXIII.

II, QVI syndicatui præsunt, in facto Consilii Sapientis operam dabunt, ut quemadmodum præcipit Cicero lib. II. offic. iuris, & iudiciorum æquitate suum quisque teneat, ut neque tenuiores propter imbecillitatẽ circumuenian-

ueniantur, neque locupletibus ad sua tenenda, uel recuperanda obsit inuidia. Quocirca si uiderint syndici Sapientem electum dolo, uel lata culpa consuluisse, ipsum illico puniendum statuent, iuxta illud, Malum Consilium consultori pessimum, Spec. de requis. cons. uers. consiliarii, Castren. in l. pen. C. de pact. Quod & in iudice, arbitro, tabellione, & teste locum habet, ut docet Pauli Castrensis diligens expositio in d. l. pen. & de hoc uniuersalis regula est, quæ ex uulgata omnium sententia sumitur, in l. consilii, de reg. iur. & l. idemq. §. si quis ea, mandat. ii enim, qui consulunt, ab ira, odio, amicitia, & auaritia uacare debent. nec sapientia appellari potest, quæ sine probitate, & integritate est. si uero dolus abest, iis imputandum uidetur, qui imprudentem Sapientem assumpserint, eorum exemplo, qui aliquem eligunt, penes quem rem suam deponant. §. præterea, instit. quib. mod. re contrah. oblig. maxime quòd in regulam redactum est, consilii non fraudulenti nullam esse obligationem. d. l. consilii, c. sane, & c. recte, de renunc. sed quoniam Sapientes iuris peritissimi sunt, ac eorum officium publicum est, ut lib. 1. tradita probant, Sapiens (ut opinor) non solum de dolo, & lata culpa, uerum etiam de imperitia, & imprudentia, sicut iudex, & assessor, accusari poterit, l. ult. de uari. & extraor. cognit. & l. ii. quod quisq. iur. quoniam imperitia in eo, qui peritiam profitetur, culpæ annumeratur. §. præterea instit. de leg. Aquil. l. imperitia, cum glo. de reg. iur. Quæ autem erunt Sapientis pœnæ? Speculator statuendum credidit excomunicationis pœnam, ex. c. nouerit, & c. grauem, de senten. excom. officii suspensionibus, ut infamis efficiatur, ex c. si aduersus, & c. excommunicamus, §. credentes, de hæretic. atque ut ad quanti litigatoris interest, teneatur ex l. arbitrio, §. dolo, de dol. sicut enim bonum Consilium præbentes præsentis uitæ habent subsidium, & æternæ remunerationis consequuntur præmium, ut inquit textus in c. Bonæ, xii. q. ii. ita male consulentes mali consilii pœnas merito sustinebunt. c. tanta, lxxxvi. distinct.

Arbitrarer

Arbitrarer. ipse ut excõmunicationis, suspensionis ue pœna puniatur Sapiens, quoties dolo malo consuluerit; cum uero per imprudentiam errauerit, ad quanti interest teneatur: ut pœna sit conformis delicto, auct. omnes, C. commu. de success. §. si quis autem per donationem, in auct. de non alienand. restituendusq. erit in pristinum litigator, si Sapiens soluendo non esset. l. & eleganter, §. pœn. de dol. l. ulti. de eo per quæ fact. eri. Adde etiam teneri Sapientem edicto, quod quisque iuris. Ang. in l. i. §. si quis apud, quod quisque iur. quod ibi declarari uidetur a Castrense, & Alex. ut eo edicto teneatur Sapiens, si requisierit is, contra quem consuluit, & quando Consilium effectum habuerit, causaq. fuerit sibi commissa a magistratu illo, qui cogebatur sequi Consilium; quod & a Bolognino plene confirmatur in auct. habita, col. xxi. C. ne fil. pro pat. Item intelligenda sunt prædicta omnia, ut iis casibus, quibus Sapiens litem suam facit, teneatur etiam si sententia rei iudicatæ auctoritatem obtinuerit. Bart. & Ang. in d. l. i. in fi. princ. Innoc. in c. sæpe, prope fin. de appell. nunquam autem tenebitur, si tria, quæ Consilium ipsum probant, præ oculis habuerit, quod rectum, quod honestum, quod bonum. Porro æquissimum erit interpretari uerba Sapientis in dubio, ut non teneatur. Alex. cõs. cxxviii. lib. i. uel saltem, ut mitius puniatur quàm fieri possit. Bart. in l. cum prolatis, de re iud. Quædam uero alia magis particulari declaratione indigentia in subsequenti capite uideamus.

Quid si Sapiens secutus non fuerit communem scriptorum sententiam. Cap. XXIIII.

SYNDICATVS quoque timore tangitur Sapiens, qui consulendo receptionem scriptorum sententiam secutus non fuerit, ex generali propositione a Butrio, & Panor. annotata in c. i. de decim. & Bald. in ult. addit. ad Specul. de execut. sentent. atque ex probata regula illa, quæ

pluribus existētibus opinionibus, ei accedendum docet, quæ plurium Sapientum auctoritate cōprobatur. l. i. uer. sane crebrior, ibiq́. Bald. de offic. quæstor. & c. nouimus, de uerb. signif. dictitantq́. iuris interpretes, Hæc est communis opinio, quasi sub religione quadam sit obseruanda. Innoc. in c. ne innitaris, de constitut. unde qui communem reliquit, & singulariter iudicat, uel consulit, ab omnibus damnatur, & per imprudentiam uidetur consulere. l. i. cum Bald. de senato. Alex. cons. xcv. lib. II. His igitur consequens erit, ut debitam syndicatus pœnam incurrat ille, qui uniuersam tam excellentium uirorum sententiam spernit, ac singulari accedit. Bar. Bald. & Salyc. in l. ult. C. de pœn. iudic. qui male iudic. Panor. in c. i. prope finem de constit. Interdum tamen excusabitur Sapiēs, ut puta si glossæ opinioni annuerit. Guid. Papæ in Decis. q. cxxxiiii. & Curt. in cons. xlii. col. vii. uel magistri sententiam ueriorem putauerit, secundum Oldradum, Ioannem And. Panor. & Ange. referente Felino in d. c. i. col. pen. si tamen magister erat uir doctus, & maximæ auctoritatis. Sicul. in c. i. col. lvi. de constitut. & nisi (ut docet Felin.) utroque in casu opinio aperte ueritati repugnet, quæ præcipua nobis amica esse debet. Itaque non probat Cicero lib. I. de nat. Deor. quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. ideo pronuntiatum procedet in dubio secus, si communis opinio non probaretur, & contra uehemens urgeret ratio. Hostien. & Panor. in d. c. i. quare non omittam Curtium erudite explanantem, quàm soli rationi, & auctoritati tribuendum sit, in cons. lvi. col. iiii. cui addamus Ancharanū in cons. clxxi. hominibus enim (ut Sapientes quidam dicebant) propugnaculum est ratio, & est telum ferro acutius. & sicut non tam est spectandum quod Romæ factum est, quàm quod fieri debeat, l. sed licet, de offic. præsid. ita (ut ibi notatur) cum ratio aliud fieri declarat, quàm quod glossæ, aut Doctores probant, ratio illorum auctoritati anteponenda est. Plane legi-

legimus, plerisque in locis Bartolum ipsum non semel errasse, quem quidam lucernam, ac lumen iuris, quidam substantiam ueritatis, & quidam omnium magistrum appellarunt. fundamentum utique opinionis est ratio, quã si ostendimus non obstare uti euerso fundamento, & opinionem corruere necesse est. c. cum Paulus, i. q. i. c. ueniens, de præsbyt. non bapti. notantq. recentiores. in l. ii. uers. innouare instituit, de orig. iur. Præcipua pariter ratione recedi poterit a communi, quando scilicet communis matrimonio, uel clauium potestati aduersaretur. Hostien. in c. si uir, de cogna. spiritu. Ioann. And. in c. rursus, extr. qui cler. uel uouen. Reliqua, quæ circa hanc materiam diffusius dici possent, ex scriptorum commẽtariis curiosus facile colliget: hic satis erit firmasse regulam, Sapientem singulari adhærentem opinioni litem suam facere, nisi pro supra declaratis opinionibus consuluerit.

Iudex, qui non acceperit Consilium Sapientis, quando litem suam faciat.

Cap. xxv.

Iudex etiam, qui a M. Tullio pro Cluent. & legum interpres & legum minister dicitur, sub syndicatus timore iudicat: quia omnes legum serui sumus (ut idem ait) ut liberi esse posſimus. et præcipue punietur iudex, si omisso Sapientis Cunsilio a lege imposito sententiam tulerit, quia sententia eius culpa nulla est. Bald. in l. si quis mihi bona, §. si coram, de acquir. heredit. iuncto Castrense cons. vi. & iure merito, qui fuit stultus in culpa, erit Sapiens in pœna. c. qui ea, xxxviii. distinct. quinimmo etiam si nulla extaret lex, Spec. putat multis nixus iuribus, iudicem spernentem Consilium Sapientis litem suam facere, si per dolum, uel imprudentiam sententiam dixerit. de requis. cons. uers. quid si iudex; idq. secutus est Pute. de syndica. sub titu. de offic. syndic. &c. cap. iudices puras, num. ix. quid enim potest in iudice uitiosius esse, quàm Consilium Sapientis sibi, & litigantibus tam utile, & fru-

ctuosum aspernari? aut enim proprii lucri spe, aut iniquo erga ciues animo, quibus præest, Sapientis Consilium recusat; præsertim quando Consilium a lege imponitur, & ipse iuris ciuilis ignarus est, ac secundum illius iuris regulas iudicat, quas suum sibi ingenium prodit. Saly. in l. Ita tutis, C. de sent. ex peric. recit. non ne tunc saltem reminisci deberet Ciceronis sentẽtiam pro Cluentio, indignissimum esse a legibus recedere? & uinculum ciuitatis, fundamentum libertatis, fontem æquitatis, mentem, animum, consilium, & sententiam ciuitatis positam esse in legibus? Teneri etiam uidetur iudex in syndicatu, quando ex lege debet habere Consilium, & Consilium omisit ea causa, quòd ex litteris alicuius magistratis ei prohibitũ fuerit habere Consilium: si quidem ignorare non debuerit, Iniuste requirentibus, etiam si iurisdictioni præsint, obediendum non esse. auct. hodie nouo iure, in fi. C. de custod. reo. Guid. Papæ in Decis. q. ccc xl. quod generaliter quidem locum habet, cum iudex magistratui non tenetur obedire: cum autem iudex superioris magistratus iussui obedire necesse habet, legitima quoque est in prõptu excusatio. l. non uidentur, §. qui iussu de reg. iur. Bar. in l. furti, §. qui iussu, de infam. proinde ita censui declarandum, ut si litteris sit inserta clausula, Si sic est, apud nos sæpe apponi solita, recte aduertat iudex, an res ita se habeat, & superiorum menti, & iussui curet proxime accedere. c. cum olim, de arbitr. Butr. in c. ad aures, de tempor. ordinat. Si uero litteræ claræ, indefinitæq. sint, in quibus nec coniecturis, nec distinctioni locus detur, recte faciet iudex si eas exequetur, nisi forte duxerit rescribendum, quando ex falsa narratione, tacitisq. facti qualitatibus deciperetur maioris magistratus dignitas. ar. l. i. §. i. quan. appell. sit & l. i. C. de relat. quo casu si eorum litteras exequendas esse cõfirmauerint, iudex omni prorsus culpa uacabit; erit tamen iudici honestum potius quã necessarium si rescribat, cum ad partem ipsam, cuius interest, magis quam ad iudicem reclamatio spectet. Sed quid si dicatur in litteris, Per se procedat, & iustitiam faciat?

ciat? censetur quidem sublatum Consilium Sapientis, ut sentit Alciat. in l. i. §. eadem, de uerb. oblig. facitq. Bar. in l. iubemus, C. de erog. mil. anno. lib. XII. & c. in criminalibus, cum ibi nota. v. q. iii. Ac prudenter facere iudicem quisque affirmarit, qui eorũ mandatis pareat, qui maiore præditi sint potestate. glo. & Bar. in l. liberorum, in fi. de infamib. c. quod quis, de reg. iur. lib. VI. Cum uero puniẽdus est iudex, qua sit afficiendus pœna, distinguamus. si dolo, ueram litis æstimationem præstare cogetur, & infamia notabitur. l. si filiusfamilias, de iudic. c. cum æterni, de re iud. lib. VI. nota. in l. ii. C. de pœn. iudi. qui male iudica. Si imperitia, quantum religioni iudicantis uidebitur, pœnam sustinebit. instit. de obligat. quæ ex qua. delict. in princ. Ang. in l. i. in princ. de iniur. si mera negligentia, ad quanti interest condemnabitur. l. iiii. §. in eũ, de damn. infect. Bar. cum additio. ibi in l. si iudex, de uar. & extr. cogn. De iudice diximus, qui Sapientis Consilium non accepit: de eo etiam aliqua subnectamus, qui & Cõsilium accepit, & ex Consilio pronuntiauit.

An iudex male iudicans ex Consilio Sapientis, litem suam faciat. Cap. XXVI.

CONSILIO Sapientis accepto, uideretur excusandus iudex: attamen constat quandoque suam litem facere; quod quattuor datis casibus declarari posse arbitror. Primo dicamus iudicem, qui ultro Consilium requirit, litem suam facere imperite iudicando. Bald. in l. obseruare, §. proficisci, de off. procons. & in ult. add. ad Spec. de execut. senten. Ang. in l. si filiusfam. de iudic. affirmatq. hoc expresse Spec. de requis. cons. uers. quid si iudex; peius esse existimans, quàm si solus ita iudicaret, §. eos autem, ut iudic. sine quo. suffrag. §. alios autem, in auct. ut defunc. seu funer. eor. Secundo quando ad partium uoluntatem iudex Consilium requirit, aliter dicendum uidetur, cum debuerit iuxta Consiliũ pronuntiare, l. si conuenerit, de re iudic. c. super quæstionum, §. uerum, de offic.

offic. deleg. & l. Titium & Meuium, de administ. tutor. Contrarium tamen uerius putat Spec. eodem in loco ex c. ad nostram, de consuet. & l. quidam decedens, §. Papinianus, de administr. tutor. et ex quo debebat iudex ueritati, non uanis Consiliis adhærere, tametsi quandoque necessario consilia ipsa requireret. c. ne pro defectu, & c. cum in ueteri, de elect. dicitq. Spec. illius textus in l. si conuenerit, eam esse sententiam, ut exponatur, Quid.i. super quo, non cuius Consilio; ac tollere omne dubium uerba, Quod sine eo fit irritum &c. posita in l. Titium, & Meuium; cui opinioni se subscripseruut Bart. & Alex. in d. l. si conuenerit, & Castrens. cons. vi. probaturq. ex eo quod dicimus, abutentem potestate sibi concessa prærogatiuam amittere. l. Iudæos, C. de Iudæ. c. cum non ab homine, de iudic. Tertio, quando non solum litigantes assenserunt ut habeatur Consilium, sed etiam Sapientem elegerunt, ex cuius Consilio fuit late sententia, idem iuris erit. Bart. cum ibi add. in d. l. si conuenerit. nam licet personam approbauerint, non tamen consenserunt, ut secundum iniquum Consilium feratur sententia; quod & amplexus est Bal. in add. ad Spec. facitq. quod notat Imo. in l. cum tale, §. ii. de condit. & demonstr. & Innoc. in c. si pro debilitate, de offic. deleg. reiecta illa ratione, quòd si a principio potuit habere & non habere Consilium, eo habito uidetur cogi, ut Consilium sequatur, ut erroneo argumento quidam existimauerunt, sumpto ex l. iii. §. tametsi, de arbitr. & l. in commodato, §. sicut, commodat. Imola opinionem hanc nimis rigorosam censuit in l. si cõuenerit, & ad eum tantum casum eam restrinxit, quando Consiliũ manifestam contineret iniquitatem. quod & cõfirmant, ea quæ notantur a Ioan. And. in add. ad Spec. peritia enim a partibus approbata, & iusta causa ex ea proueniens maximam præstat excusationis rationem. l. qui solidum, §. etiã, ibiq. Castrens. de leg. ii. & Bal. in l. mancipia, C. de seru. fugit Innoc. in c. ne innitaris, de constitut. Minus litem suam iudex faciet, si eo in loco, in quo lex iubet habendum esse Consilium, iudices ex consuetudine

sta-

ſtatuerentur ignari, cum ibi legis mens præſumatur, ut iudex ſequi debeat Conſilium. c. uenerabili, cum glo. de offic. deleg. l. impuberibus, de ſuſpect. tutor. Imo. in c. cum olim. Quarto ſi ex lege, uel partium aſſenſu, ſecundum Conſilium iudicatum eſt, ſyndicari utique iudex nō poterit. Bar. in d. l. ſi conuenerit, Ioann. And. in reg. nullus ex Conſilio, de reg. iur. in Mercur. Calcane. conſ. lxxxii. ne legis auctoritate, uel litigantium, de quorum intereſſe agitur, uoluntate iudex decipiatur. l. i. C. de his qui ueni. æta. impetr. Clem. i. de rer. permut. Paul. d. conſ. vi. Quare Speculator, & Bar. iudices monuerunt, ut in actis annotari iubeant, partes conſentire ut ſecundum electi Sapientis Conſilium ſententia feratur, ea cauſa ne litem ſuam faciant, in d. §. quid ſi iudex, & in d. l. ſi conuenerit. Opponit Alex. ac dicit legem cogentem iudicem ſequi Conſilium intelligendam de Conſilio iuſto, arbitrio boni uiri, d. l. Titium, & Meuium, uerſ. quantum; Bar. in repet. l. i. §. ſi plures, in iii. q. de exercito. non de iniquo, quod omnino renuendum uidetur. l. ſi libertus, de oper. liber. l. hæc uenditio, in princ. de contrahen. empt. & Bald. in rub. C. de exerci. uerſ. ut autem. ſed probat tandem Speculatoris & Bar. ſententiam, ne ocioſa ſit lex, uel partium conuentio, putatq. factam oppoſitionem in extraiudiciali actu procedere, in quo appellationis remedio caremus. facitq. Bar. in l. in bonorum, in fi. de bonor. poſſeſſ. & de materia uide Puteum de ſynd. ſub titu. de offic. ſynd. & c. cap. an ſi iudex de uoluntate, cum ſeq. Atque hoc in uſu noſtrates iudices quotidie ſequuntur, qui cum in prolatione ſententiæ ex lege noſtra Conſilium ſequi debeant, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum fuerit, a Conſilio ipſo non recedunt.

In quibus iudex, & arbiter excuſentur, cum ex Sapientis Conſilio iudicant. Cap. XXVII.

EXCVSANTVR quandoque iudicantes ex Conſilio

lio Sapientis.tametsi neque lege, neque partium consensu cogantur sequi Consilium, & qnandoque excusari non possunt. Quapropter ultra ea, quæ proxime dicta sunt, nonnullas hoc postremo loco firmabimus regulas, ex quibus circa huiuscemodi excusationem facile diiudicabitur, quid iuris sit. Et in primis adducemus, quod fere in adagio positum est, iudicem scilicet grauiter puniri, si in lege Fusia canina dubitauit, & mitius si in lege Galli Aquilii, glo. in §. i. instit. de oblig. quæ ex quasi delict. nascun. Ias. in l. quod te, col. ult. si cert. pet. ex quo inferetur, ad Consilium nostrum in his, quæ in exquisitio iure consistunt, excusationem facile admitti. Io. Fab. & Aret. in §. suspectus, instit. de suspect. tuto. ideo ex probabili errore iudex parti læsæ nullo pacto tenetur. glo. in c. temerarium xi. q. iii. c. sacro, de sent. excom. Probabilis autem error intelligitur, quando grauis, non leuis, ac infirma opinio ab iis, qui syndicatui præsunt, iudicatur. Bal. in l. obseruare, §. proficisci, uer. xxx. de offic. procons. Innoc. in c. ne innitaris, de constitu. unde inquit Iacobus, Consilium celebris iurisperiti excusationis rationem facile præstare, in l. si conuenerit, de re iudica. quod in dubio articulo uerū iudico, secus ea in specie, in qua claræ inniti debemus rationi, non auctoritati. l. si filiusfam. ibiq. Ang. in terminis, de iudic. Socin. cons. xxiiii. lib. i. & latius supra cap. xxiiii. traditum est. alias regulam habemus in attingentibus punctum iuris, Consilium iurisperiti iurisperitum non excusare. Bar. & Bald. in l. in bonorum, de bonor. poss. Alex. in l. iuris ignorantiam, C. qui admitt. & quoad hoc comparatio antiquorum iureconsultorum cum nostris Sapientibus non procedet: quia, ut suo loco diximus, Sapientis Consilium & sequi, & non sequi possumus: ab illorum autem prudentum responsis recedere non licebat. §. responsa, Instit. de iure natu. gent. & ciui. nisi forte ponamus (ut apud nos) a Sapientum quoque Consilio ciuitatis iure recedi non posse. sed tunc non erit proprie Consilium, ubi necessitas est, ut ait Fab. Quint. lib. iii. cap. viii. facit Panor. in c. cum olim,

de

de arbitr. pro iis uero, qui peritiam non profitentur prompta se se offert excusatio, si Sapientis Consilium sequuntur, ut eisdem in locis annotarunt iidem, ac reliqui iuris interpretes, & Felin. in c. proposuisti, de probat. qua ratione id etiam ea in arbitro probarem, qui & ignarus litterarum est, & habere Consilium cogitur. Floria. in l. regula, §. sed iuris, de iur. & fact. ignor. alioqui perinde arbiter litem suam faceret, ac si iudex ordinarius esset. Panor. & Felin. in c. pastoralis, §. quia uero, de offic. deleg. Lanfran. de arbitr. q. xxxvi. ult. part. Hæc sunt, quæ de iudiciali Consilio Sapientis inchoata sunt a nobis, uel, si tu ita statueris, Bartholomæe præstantissime, absoluta. quòd si quid deesse iudicabis, aut si quid minus erudite, minus ue scienter tradidimus, cupio corrigi, & mutari ab iis, quos mihi in hac doctrina antepono. publica enim utilitas a bonis uiris propriæ laudi debet anteferri. Ego autem neque nunc laborem hunc recusaui publici commodi causa, neque in posterum, quantum quidem præstare potero, recusare constitui.

DE CONTRACTVVM, ET VLTIMARVM VOLVNTATVM COMPOSITIONE AD SENSVM SAPIENTIS LIBER VNVS,

A PACE SCALA, IVRECONSVLTO PATAVINO, CONSCRIPTVS,

AD OTTONELLVM DISCALCIVM, IVRECONSVLTVM.

QVALE deberet esse Consilium Sapientis, quo quidem iudex in rectam iustitiæ uiam inducitur, quattuor libris non indiligenter explicatum a nobis est. reliquum uidetur esse, ut ostendamus, qua ratione idem Sapientis Consilium contrahentibus, & testantibus, plurimum consulere, & cauere possit, ne quid per inscitiam committatur, quod uel aduersetur eorum uoluntati, uel posteros in aliquam controuersiam adducat. eoq. magis hoc necessariũ duximus, quòd sæpe tabelliones ipsi minime præstant id, quod se facere ad Consilium Sapientis profitentur, non uoluntatis uitio, sed quia perfectam uerborum formulam, & exprimendi uim ignorant. Ego autem ideo libenter meam industriam ad hanc quasi admonendi rationem contuli, quia publicum inde commodum oriri sum arbitratus. satis enim constat, quæ molestiæ, quæ detrimenta, quæ odia, & ex odiis non nunquam etiã

cædes existant: quæ ne accidant, cauere, pertinet ad officium boni uiri; qua quidem ego te laude, Ottonelle Discalci ornatissime, dignum iudico; quem uidemus, qua ætate omnes fere procliues ad uitia sunt, ita uiuere, ut ab honesto nunquam rece das. itaque gloriam maiorum tuorum tua uirtute iam renouas, & augebis etiam, si diuturnam lucis usuram, quod Deus optimus faxit, assequere. contulisti enim te ad cognitionem iuris ciuilis; in qua tum Antonius pater tuus, tum Aloysius auus, maxime uero Ottonellus ille, Carrariensibus Principibus mire gratus, peritissimus legum interpres, excelluit: quorum extingui memoriam neque ipsorũ uirtus, neque præclara doctissimi atque integerrimi uiri, Bernardini Scardeonii, Canonici Patauini, patietur historia: quæ quàm diu legetur, (legetur autem, donec liberalibus disciplinis, egregiisq. monumentis locus erit) uigebunt laudes maiorum tuorum: quorum industriam ita frater tuus Aloysius imitatur, ut paternum, auitumq. decus non mediocriter augeat. Ad te uero quod attinet, quo tempore iuris ciuilis insignia eruditissimi, ac sapientissimi homines admirabili consensu tibi detulerunt, cum egregium uirtutis tuæ specimen ostenderis, ex eo facile futurum omnes augurantur, ut hanc laudis tanquam hereditatem aliquam non modo conserues, uerum etiam adaugeas, & posteris tuis tu quoque amplissimã relinquas. quo nomine me tibi non uulgariter obstrinxisti: si quidem plurimum ualet ad beneuolentiam conciliandam studiorum similitudo, & eo magis, si cum studiis mores etiam congruant. fateor enim me diligere tuam probitatem,

modestiam, & humanitatem singularem. quæ cum assequi non possim, conabor tamen imitari. Patebit autem tibi & iudicium, & uoluntas mea ex hoc, qualecunque est, erga te officio, quòd hunc libellum, quo licuit a me studio elaboratum, nomini tuo inscribendum putauerim: quandoquidem, ut maiora præstemus, non dum patitur infirmitas ingenii nostri.

Quid efficiant uerba, Ad sensum Sapientis, in contractibus. Cap. I.

ET, VT hic non sine ordine procedamus, ordiemur a contractibus, uti ab actionibus, quæ nobis uiuentibus, deinde subsequentur ea, quæ nobis morientibus oportuna sunt. Primum erit, quid in contractibus generaliter efficiant, quamue significationem habeant ea uerba, Ad sensum Sapientis, quorum formam ponit Spec. de empt. in princ. uer. primo igitur, & §. tertio, uer. sed si promit tit. Bartolus notat ex his uerbis, Sapientem posse addere ea, quæ de natura contractus sunt, in l. illa institutio, de heredib. instit. Accursii auctoritate in l. si mandato Titii, §.ult.mandat. Exempla erunt, ut Sapiens exprimat obligationem bonorum, Bald. in l. executorem, uer. item cautio, C. de executio. rei iud. includatue Aquilianam stipulationem. Castren. in l. pacto, de transact. aut inserat donantem, uel uendentem constituere se precario nomine possidere; & pleraque generis eiusdem, Ioann. And. adde Spec. de instrum. edit. §. instrumentum, uers. quid si a contrahentibus. Imol. in c. ex litteris, de fid. instr. eligitur enim Sapiens, (ut ibi notat Baldus) ut legitime significetur quod actum est, ex nota. in d. l. illa institutio, Nec quidem contrahentes, & Tabellio aliud uoluere, nisi ut ad ea, quæ iuris sunt, obligentur partes. Bald. ad Spec. in loco prædicto, in additio. incip. Et nota quòd breuis

breuis. siquidem sæpe contrahentes ex sua, & tabellionis imperitia aliquid contractibus inserunt, quod uel iuri aduersatur, uel obscurissimum est. l. emptorem, in fin. de action. empt. & l. inter stipulantem, ibiq. not. in princ. de uerb. obligat. quo fit ut sæpe eueniat, Sapientẽ boni quodam modo uiri officio fungi debere, de quo in l. si stipulatus, de usur. l. si societatem, ii. pro soc. Marian. Soci. iuni. in consi. cxliii. lib. 1. efficitq. clausula, ut quod actum est, magis distincto magisq. proprio describatur modo, ac ut in dubio tutior recipiatur opinio. Ioann. And. in eod. uers. quid si, & Felin. in d. c. ex litteris, maxime ubi uoluntas facile confertur in alterius arbitrium, ut in contractibus, de quibus nunc agimus. gloss. in l. iii. de testam. Addere etiam poterit Sapiens ea, quæ ex consuetudine includi solent. l. si prius, §. placuit, de aqua pluu. arcen. l. quod si nolit, §. quia, de ædilic. edict. Ei propterea licebit inserere renuntiationem excussionis, quæ ex consuetudine a fideiussore fit. Bald. in rub. C. de his quæ in fraud. & Sicul. ibi in additionibus suis. quo iure utemur, si id nostræ regionis consuetudo postulabit. Bar. in l. ult. de his quæ in fraud. alias cum huiusmodi renunciatio facti sit ex regula, apponi non poterit. l. eum quem temere, de iudic. Accedit pro hoc alia regula Speculatoris dicentis, omnia addi, & minui posse pro contractus confirmatione, eius substantia non mutata, in §. sciendum, uers. sed quid si in instrmento, de empt. & uendit. & in d. uers. quid si. ubi Ioannes And. in additionibus declarauit ea ratione, iis, quæ ad rei uim & naturam pertinent, nil addi posse, quia a principio sic contractibus insunt, ut sine ipsis nullum censeatur, quod gestum est. l. sub hac, de acti. & oblig. l. in uendentis, C. de contrahen, empt. facitq. Oldrad. cons. cxxxix. Snperflua item resecabit Sapiens, ac imperfecta replebit, tenore substantiæ perseuerante, l. i. C. de ueter. iur. enucle. l. actorum, de re iudic. Ea uero, quæ bonus uir non arbitraretur, supplere non poterit, tametsi naturalia essent, ut notat in loco citato Ioann. And. cum de his non uideatur cogitatum,

glo.

glo. in c. pen. de iureiur. quomodocunque generalia, uel obscura sint. c. inspicimus, & c. in generali, de reg. iur. lib. VI. Ex quibus constat, eorũ, quæ iuris sunt, ad Sapientem spectare adhibitionem, tum eorum, quæ municipiorum iure, ac locorum consuetudine probantur. Decis. Neapol. lxxix. & cxxxv. cum si.

Quid efficiant uerba, Ad sensum Sapientis, in stipulatione. Cap. II.

GENERALIS fuit paulo ante tradita expositio de ui, & natura clausulæ, Ad sensum Sapientis, in contractibus: nunc generis unamquanque speciem consideremus, quæ circa eandem clausulam in controuersiam cadere potest. Et primo in stipulatione Alex. Ang. & Imo. notant uerba, Ad sensum Sapientis, nullum effectum parere, in l. quicquid astringendæ, de uerb. obligat. quia stipulationis contractus uerborum expresionem requirit, ut traditur in l. i. eiusdem tituli. & cum hac opinione uidentur placide transire reliqui fere omnes scriptores. Felin. in c. ex litteris, de fid. instrum. Cels. ego de clausu. nu. ccxv. Idq. ad sententiam, & appellationem omnes extendunt, in quibus scripturam esse necessariam legimus in l. ii. C. de senten. ex pericul. recitan. & in c. cordi, de appell. lib. VI. quæ quidem de sententia, & appellatione narrata non erunt extra propositum, quandoquidem & in iudiciis quasi contrahitur. l. iii. §. idem scribit, de pecul. sed huic opinioni non ita simpliciter accedendum existimo, propterea quòd rationem non uideo, cur in ordinanda stipulatione, & quocunque actu Sapientis nostri solertia negligi debeat. Sapiens enim, ea, quæ de natura contractus sunt, nullo iure prohibetur apponere. Alex. in l. ii. §. ult. qui satisd. cogant. Oldrad. cons. cxxxix. datis semper iis, quæ ad rei uim & naturam pertinent: quæ si deessent, siue de contractibus, siue de ultimis uoluntatibus ageretur, frustra adhiberetur Sapiens, uel quodlibet aliud simile adminiculum. c. tuæ, & sequ.

de sponſ. & l. teſtamentum, C. de teſtam. Quidnam refert in ſtipulatione uerba requiri? Etenim ponendum eſt, ut interrogetur quis, an ad ſenſum Sapientis Centum promittat, ipſe uero reſpondeat, ſe ad ſenſum Sapientis uelle teneri: tunc Sapiens eas includet clauſulas, quæ ad naturam contractus attinebunt; ac ita ſentire uidetur Alex. in d. l. quicquid, adducens l. triticum, cum Bar. de uerb. oblig. ubi notat Bar. licet uerba exprimenda ſint in componenda ſtipulatione, circumferentias tamen (ut ait) exprimi neceſſe non eſt. Guielmus quoque docet in generali declaratione ſtipulationis uocabulum, alios ue iuris terminos a Sapiente addi poſſe, referente Bal. add. Spec. in §. inſtrumentum, uerſ. quid ſi a contrahentibus, in addit. nec poteſt, de inſtrum. edit. ſic expreſſa ab appellante appellationis ſubſtãtia (ex notatis ſuperiori cap.) & a iudicante tenore ſententiæ declarato, nil Sapientem impediet, quin pertinentes clauſulas, ac idoneam formam tradere poſsit: iuſiurandum autem, quod ſub hoc ſimplici conſenſu non comprehenditur, ſtipulationi addere non licebit; cum iuſiurandum præcipuam, ac certam formam habere dicatur. c. cum clerici, de uerb. ſignif. Butri. & Panor. in c. clericus, de iureiurand. Vltra igitur hos declaratos terminos non debebit circa hanc ſtipulationem Sapientis prudentia extendi.

Si conrrahentes conueniant, ut inſtrumentum ad ſenſum Sapientis conficiatur, an pœna addi poſſit. Cap. III.

Si conuentum fuerit, ut ad ſenſum Sapientis inſtrumentum conficiatur, poterit ne a Sapiente pro tutiori pactionis obſeruatione pœna in contractu apponi? Ioannes And. cum loquitur de poteſtate Sapientis in conficiendo contractu narrat, quæ uſitata ſunt, a Sapiente apponi poſſe, in addit. ad Spec. de inſtrum. edit. in §. inſtrumentum, uerſ. quid ſi a contrahentibus, in uerb. inſtitutio; inſertq. ibi, uſitatum eſſe (reſecandarum ut opinor litium cauſa)

causa) pœnã promitti, ex nota. in l. ex ea parte, de uerb. oblig, facit & Bald. in l. pen. C. de execut. rei iudic. Contra urget quod in materia notat idem Bald. in l. sancimus, C. de uerb. signif. pœnam scilicet introducendam non esse, nisi expressa constet paciscentium uoluntas. c. pœnæ, de pœnit. distinct. i. constare autem non censetur ex generali, atque obscura locutione. l. ubi autem non apparet, de uerb. oblig. c. odia, de reg. iur. lib. VI. At existimarunt Ang. & Castren. Ioannis Andreæ opinioni adhærentes, commissa instrumenti confectioné Consilio Sapientis, posse Sapientem pœnalem stipulationem subiungere, in l. pacto, de transact. facitq́. l. ult. de præt. stipul. quodnam est igitur huius opinionis fundamentum? est quidem Accursii doctrina in d. l. ex ea parte: quam tamen intelligit Imola in pœna, quæ ex conuentione, ac facto promittentis, non ex facto tertii est committenda. Intelligi quoque debet propositio, quando pœna prouenit ex ui legis ita Consilium dantis, utputa si natura rei ad dupli, tripli, uel quadrupli condemnationem spectaret, hoc Sapiens declarare poterit, & debitores, fideiussoresq́. tenebuntur, cum ita contrahentes sensisse credendum sit. l. iii. cum glo. qui satisd. cogant. l. quidam, de uerb. obligat. intelligi item debet in re usitata, quæ scilicet, solita est apponi; qua de causa, ex pacto pœna uidetur in conuentionem deducta. l. quod si nolit, §. quia assidua, de ædilic. edict. l. excepto, C. de locat. Ex eo enim, quod dicebãt antedicti scriptores Sapientem pœnam insolitam apponere non posse, tacite infertur, solitam posse. Bald. in l. executorem, C. de execut. rei iudica. prouenit sane huiusmodi pœna ex natura contractus, ac permittitur consuetudine, quæ & ipsa quandoque censetur altera natura, & quando altera lex. l. si quis posthumo, de liber. & posthu. l. i. §. denique, ii, ibiq́. Bart. de aqu. pluu. arc. Nec unquam otiosum censebitur, quod a Sapiente exprimitur, dubitationis tollendæ, uel abundantis cautelæ causa. l. qui mutuam, mandat. l. testamentum, C. de testam. Ea ratione, qua solita pœna inseritur, clausula quo-

que constituti solita in contractu apponi, a Sapiente ipso includetur. Oldrad.cons.cxxxix. Aliæ etiam eiusdem generis clausulæ, quæ tamen solitæ sint, eadem ratione includi poterunt. c. cum M. Ferrariensis, de constitut. & c. ii. de rescript. atque ex prædictis interpretabimur iura uetantia in dubio pœnam introduci, ut in usitatis potestas Sapientis non censeatur restricta; & hoc metu pœnæ contrahentium mens facilius assequetur finem suum. ar. l. si quis locuplex, de manumiss. testam. & l. quisquis, de legat. iii. Adhibebitur tamen in hoc arbitrium quoque boni uiri, ut interdum etiam inusitatorum (ut ait Ioannes And.) ratio habeatur, talia modo sint, quæ ex boni uiri arbitrio fieri debeant: & rei natura considerata, Sapiens, quod optimum cognouerit, statuet. l. hæc uenditio, de cō trahen. empt. l. in personam, de reg. iur.

Promittens aliquem securum facere ad sensum Sapientis, an fideiussorem præstare cogatur, si hoc dixerit Sapiens. Cap. IIII.

SESE offert utilis quæstio, an, si in contractu dixerit debitor, Promitto creditorem securum facere ad sensum Sapientis, teneatur fideiussorē præstare, si hoc dixerit Sapiens. licet a sensu Sapientis ex pacto aptari debeat contractus, de sensu tamen lege probato intelligitur. c. utinam, & ibi Archid. lxxvi. distinct. Prima facie uidetur debitorem teneri. Nam & quando pretii quantitas in boni uiri arbitrio a contrahentibus collata fuit, ac uir electus sit, eamq. declarauerit, huiusmodi declarationi acquiescendum est. l. ult. ibiq. notat. C. de contrahen. empt. alioqui frustra ea uerba prolata essent, cum & sine his uerbis semper tacite intelligatur, quòd unumquodque Sapienter fiat, ita ut de iure ualeat. nota. in l. huiusmodi, in princ. de legat. i. Bald. add. Spec. §. sciendum, uers. sed quid si in instrumento, de emption. Ad id pertinet quod & eodem in loco dixerat Spec. cum scilicet tutum non esse,

se, qui aliquo timore detinetur. ar. l.i. in fin. de act. empt. & l. cum archimedoram, C. ut in poss. lega. uel fideicom. quinimmo nec dicitur cautio, quæ sine fideiussore fit. l. si creditores, de priuileg. credit. l. uniuersa, C. de precib. Imper. offerend. idq. annotarunt Pet. Iacob. & Cyn. referente, & probante Guid. Pap. in Decis. q. ccxlixC ontraria opinio suadetur ex qualitate officii Sapientis, quæ est, ut duntaxat secundum ius commune consulatur; nõ enim potest Sapiens consulendo contractus naturam excedere, sed eius est contrahentes certiores facere in iis, quæ a iure proueniunt. c. responsa, distinct. ii. & c. ad fidem, xiii. q. v. atque (ut in eisdem additionib. placuit Baldo) iuris cautelas docere, a facto autem se abstinere; quoniam ita contrahentes uoluisse præsumitur; & hæc est ratio, quæ nec in bonæ fidei, nec in stricti iuris contractibus extensionem ius admittit, l. ueteribus, de pact. l. quicquid astringendæ, de uerb. obli. Præterea si dicemus, si hoc contrahentes uoluissent, id eis exprimere non difficile fuisse, non erit leue fundamentum, quia & in maioribus Decisionum terminis fuit adductum. Decis. Rot. ccclxxviii. in antiq. & Decis. Dalph. cxxxviii. facitq. locus iurisconsulti in l. si ita stipulatus fuero. §. Grisogonus, in fin. de uerb. oblig. in his uerbis, Raro autem inesse tempus, uel conditionem in eo, quod agi apparebit, intelligendum est, personam nunquam, nisi expressa sit. adde Baldũ in l. executorem, uers. item cautio, C. de execut. rei iud. perinde igitur clausulæ, quæ naturæ contractus conueniant, a Sapiente apponi debebunt, ac simpliciter tabellio rogatus esset, uel etiam cum solemni cautela dictum fuisset. Bald. in l. ult. C. de fideiuss. & in d.l. executorem. quibus casibus clarum est, non posse Sapientem consulere, ut fideiussor exhibeatur. Spec. in eo uers. sed quid si in instrumento. Sed si forte dixerit fideiussorem exhibendũ, huiusmodi Consilium ad boni uiri arbitrium reducetur, ita ut non teneatur promissor, nisi ad id, quod iuris est. l. si societatem, pro soc. l. hæc uenditio, de contrah. empt. c. Quintauallis, de iureiuran. Odofred. in l. i. C. de pro-

cur. nisi natura contractus ita ferret, (ut ibi inquit Odofre.) ut cum pignoribus, uel fideiussoribus interpretatio fieret. qua ratione, nec superuacanea censentur ea uerba, Ad sensum Sapientis, etiam si dubitationis tantum tollendæ causa, inserta fuerint. l. qui mutuam, in princ. mandat. c. causam quæ, de rescript. At uana uidetur (inquit idem Spec.) stipulatio, ita ad sensum Sapientis composita, quasi de incerta persona pactum sit. l. si merces, in princ. locat. c. innotuit, in fin. de arbitr. responsio erit, in locis citatis remissionem nimis generaliter fuisse factã, sed satis restrictam intelligi, ut inferius declarabitur, quando ad sensum Sapientis redacta est; instar clausulæ, arbitrio boni uiri in contractu, uel testamento appositæ. d. l. ult. de contr. empt. l. in personam, §. generaliter, cũ glo. de reg. iur. l. i. cum gl. de leg. ii. qua in re non est spernenda distinctio Roma. in addit. in l. Prætor ait, in princ. de oper. nou. nunc.

Quid si actum sit, ut plene, uel idonee caueatur. Cap. V.

DILIGENTIORES quidam occurrunt, qui apertius stipulantur, ac uolunt ad sensum Sapientis sibi plene caueri, uel idonee securos reddi. & adhuc quæritur, an promissor fideiussorem exhibere teneatur, si hoc dixerit Sapiens; cum ne hæc quidem uerba efficere uideantur, ut fideiussor exhibeatur, quia cautionis nomine fideiussoris dationem minime interpretamur, nisi hoc specialiter (ut inquit Iustinianus) uel in Græcis, uel in Latinis litteris scriptum fuerit. l. sancimus, C. de uerb. signif. ubi Bald. significat non licere Sapienti iura transgredi, ut quandoque arbitratori licet. gloss. in l. sed & si in seruum, §. si quis, & in l. si de meis, §. recepisse, de arbit. estq. ab omnibus interpretibus recepta sententia, ut etiam sine fideiussore cautio dicatur. Imo. in l. Aristo, §. Labeo, de donat. Alex. in l. ult. de cond. ob caus. Accursius tamen sensisse uidetur, promissorem ad fideiussoris exhibitionem

teneri in l. si mandato Titii, §. ult. manda. cui subscribit Odofred. in l. i. C. de procura. & Specul. in §. sciendum, uers. sed quid si in instrumento, de empt. & uendit. ar. l. si quis alienam, de act. empt. & l. ergo, §. adiici, de fideicom. libert. Nemo quidem negabit huiusmodi locutiones uberiorem proprietatem, ac latiorem quandam significationem habere. c. ad hoc, in fin. de sequestr. poss. & c. litteras, de restitut. spol. c. ex parte, i. de uerb. signif. hinc uidemus plenum appellari compromissum, quod de rebus omnibus compositum est, atque doli clausulæ mentionem habet. l. si cum dies, §. plenum, & l. ita demum, in fin. de arbitr. plenumq. dici ecclesiasticum beneficium, quando aliquis id iure possidet. Decis. Rot. DCCXXXIX. in antiq. Idem concludimus, si idonee a contrahentibus fuerit conscriptum. Bald. in l. pen. C. de execut. rei iudic. non enim uidetur conditioni satisfactum, cum in mandato adiectum est, ut idonea cautio a debitore exigeretur, si (ut inquit Paulus) neque fideiussor, neque pignora accepta sint, d. l. si mandato Titii, §. ult. quod etiam probatur ex d. §. adiici, a contrario sensu, & c. ult. cum gloss. de pignorib. Accedit quod de sepultura dicitur, quæ usurariis denegatur, donec (ut ait Pontifex) plenarie creditoribus satisfactum, uel idonee cautum sit. c. quanquam, cum glo. de usur. lib. VI. & comparat ibi Pontifex idoneã cautionem satisfactioni, ex maxima affinitate, quam inter eas esse uidemus. §. uenditæ, Instit. de uer. diuis. auct. cui relictum, C. de indic. iud. toll. Ex quibus & prædicta generalis Iustiniani lex declarationem recipiet. Talia sane plena uerba ordinariam & legis, & contrahentiũ mentem immutare solent. quemadmodum, si in lege cum cõpetenti cautela, uel in contractu sufficiens cautio diceretur. l. si debitori, de iudic. Oldrad. cons. LXVIII. Bal. in d. l. sancimus, l. Ballista, ad Trebell. id tamen intelligo, ut locum non habeat, si casus non ita ferret, uel subiecta materia non pateretur, ut cum fideiussore interpretatio fieret. Butr. in c. ult. prope fin. de restitut. spoliat. Alexan. cons. XXXV. lib. IIII. Hic etiam non omittemus, quod &
sub-

ſubiunxit Spec. in loco citato, uidelicet, ſi in contractu promiſſum fuerit (ut uulgo dicitur) cartam facere ad ſenſum Sapientis, contractus in ſcriptis fieri dicitur, quando in limine contractus, uel in ipſo contractu huiuſmodi uerba prolata ſint. l. contractus, cum gloſſ. C. de fid. inſtrum. l. item quæritur, in fin. locat. facitq́ue quod dicit Baldus in exemplo communis Peruſii, addens ad Spec. in §. inſtrumentum, in addit. & nota quòd breuis, de inſtrument. edit. contractu autem perfecto, utputa, in uenditione datis arris, ſcriptura dicitur non ad ſolemnitatem, ſed ad probationem fieri. §. inſtit. de empt. & uendit. iuncta glo. in d. l. contractus.

An Sapiens a contrahentibus eligendus ſit, uel pro Sapiente iudex, cuius ue impenſis. Cap. VI.

SI quæratur, cum emptor, uel creditor ad ſenſum Sapientis cautionem expectat, quis ſit ad hoc Sapiens, & a quo eligendus Ioannes And. legi poteſt in addit. ad Spec. in §. ſciendum, uerſ. quid ſi in inſtrumento, in uer. commune, de empt. & uendit. cenſuit hoc caſu Ioannes And. iudicem Sapientem eſſe, ſicut & alias Venuleius interpretatur iudicem, i. uirum bonum, in l. continuus, §. cum ita, de uerb. oblig. & Gloſſator, uirum bonum. i. iudicem, in c. ſtatutum, in uer. copia, de reſcript. lib. VI. Sed ego hanc opinionem non ita abſolute ſequor, cum liquidam contrahentium mentem fuiſſe exiſtimem, (ut paulo ante diximus) ut Sapiens aliquis eligatur, qui commode congruas contractui clauſulas applicaret. Ioann. Graſſ. de ſubſtan. procur. uerſ. dictamen. iudicis enim officium diuerſum eſt ab eo, quod hac in re deſideratur, ut demonſtrant ea, quæ dicuntur a Claud. Canti. de offic. iud. & quæ notantur in l. i. de iuriſd. omn. iud. Nec perpetuo conuertitur Venuleii interpretatio: ut dici poſsit, Vir bonus, ergo iudex, aut Sapiens, i. iudex, cum & alii uiri boni, & alii Sapientes reperiantur. omnibus enim uirtutibus,

bus (ait Cic. lib. v. Tusculan.) instructos, & ornatos, tum Sapientes, tum uiros bonos dicimus. Atqui iudicem quandoque interpretamur, i. uirum bonum, quia tunc boni uiri arbitrio fungitur, ut puta, cum temporis, ætatis, sexus, ualetudinis, ac loci rationes metimur. d. §. cum ita, & l. interdum, de uerb. oblig. Verum in huiusmodi sermonis proprietate Sapiens non potest pro iudice accipi, cum præter officii diuersitatem, uetus quoque loquendi usus, ac cõsuetudo repugnet; cui multũ tribui msu.l. anniculus, & l. in usu, de uerb. signif. sicut de his uocibus, Deuotus, & Religiosus dicitur, quæ olim in malam partem accipiebantur. Alciat. in rub. eod. titu. Ego arbitrarer, partium electioni acquiescendum esse, siue in Sapientem conuenerint, siue in iudicem, qui uelit Sapientis officio fungi. ar. nota. per Bar. in l. sed & si unius, § Prætor ait, de in iur. & nota. in l. societatem, §. arbitrorum, pro soc. Et si partes Sapientem eligere maluerint, ac in eius electione conuenire non possent, ad bonum uirum recurretur, i. ad iudicem, qui partibus non suspectum Sapientem eligat: uel, si ex rei breuitate ita uiderit partibus expedire, ipse loco Sapientis negocio finem imponet, ut in summaria causa dicebamus, in lib. 11. de Cons. Sap. in forens. caus. adhib. expensis autem emptoris, uel creditoris, hoc casu Sapientis assumptio fiet. Bald. in addit. ad Spec. in §. sciendum, uers. sed quid si in instrumento, de empt. ab uendit. & l. i. C. de euict. cum enim semper tacite intelligatur, (ut supra cap. i. diximus) ut contractus legitime fiat, satis quidem fuit ipsi uenditori, rem legitime uendidisse, & debitori solemniter promisisse. probat huius opinionis ueritatem Accursii exemplum in l. ex ea parte, de uerb. obligat. At si obiiciatur de loco illo Ioannis Grass. ubi quærens quis soluet honorarium consultori in solemnitate instrumenti, respondet, soluent partes, si conuenere, ut ad sensum Sapientis instrumentum conficiatur: alioqui soluet tabellio, qui peritiam professus est, ex nota. in l. ii. quod quisque iur. & l. ii. §. Seruius autem, de orig. iur. Responde, quæstionem

Ioannis in hoc uersari, an partes tenerentur, uel tabellio, de partibus uero inter se nil cogitauit. Ideo si instrumentum fieret, utputa transactionis, in quo ab utroque latere interesse uertitur, puto utrunque ad expensas teneri. quod ex iis etiam confirmatur, quæ de Sapientis honorario tradidimus in lib. III. de Cons. Sap. in forens. caus. adhib. & naturalis ipsa ratio probat; argumentum iure receptum. c. ult. de transact. cum si. ex ratione enim, tanquam ex spiritu, legem uiuere, clari iuris est, Bald. cons. xlix. lib. II. Quocirca regula est, ut non iudex, sed Sapiens, & quandoque unius, & quandoque utriusque contrahentis expensis eligatur.

An liceat tabellioni rogato conficere instrumentum ad sensum Sapientis, supplere pro Sapiente. Cap. VII.

LICEBIT ne tabellioni satis perito, ac rogato ut ad sensum Sapientis instrumentum conficiat, eas instrumento inserere clausulas, quas & ipse Sapiens dictare potuisset? licebit profecto secundum Baldum in rub. C. de reuo. his quæ in fraud. ubi notat, Tabellionem ex propria prudentia, proprioq. intellectu, non ea solum addere posse, quæ iuris sunt, sed & quæ ex consuetudine addi consueuissent. l. quod si nolit, §. quia assidua, de ædili. edict. l. si prius, §. placuit, de aqu. pluu. arcen. l. ex ea parte, ibiq. nota. de uerb. oblig. & licet cum hoc pugnare uideantur ea, quæ supra cap. proximo, de mente contrahentium ex dictione, Sapientis, considerata sunt, nihilominus tantum abest, ut nunc menti aduersemur, ut sola ipsa mente nitamur; quæ nempe fuit ex clausula, Ad sensum Sapientis, ut contractus iis congruis clausulis corroboretur, quæ supra memoratæ sunt, ut & in Baldo, & Sicu. in additio. in rub. C. de reuoc. his quæ in fraud. uers. & nota. quibus si munitus fuerit, ad Sapientis sensum instrumentum confectum esse dicetur, siue peritorum, siue imperitorum loquendi usum attendamus. l. si cum ante, C.

de

de donat. ante nupt. l. si dictum, de euict. & Roma. conf. iiii. non enim uoluerunt contrahentes ex his uerbis, a tabellionis doctrina recedere, sed paucis se expedire, scientes, cum aliquid committitur alicui, id committi tanquam prudenti; & hoc pro materia Consilii nostri nominatim obseruat Bald. in l. i. C. de tuto. & curato. illustr. & ut postea commode a tabellione, uel Sapiente, uel a iudice ipso iuxta regulas superioris cap. extenderetur, quod breuiter factum est. Innoc. in c. si pro debilitate, de offic. deleg. Bald. add. Spec. de instr. edit. §. instrumentum, uers. quid si a contrahen. addit. & nota quòd breuis. Hæc sane locutio, Ad sensum Sapientis, a contrahentibus apposita significat, ita rem fieri debere, ut a Sapientis sententia ne discrepet. sicut è contra ad uulgi assensum, inquit Cicero in Oratore his uerbis. Nec in hac modo re, quæ ad uulgi assensum spectat, & ad auriũ uoluptatem, quæ duo sunt genera ad iudicandum leuissima. Quamuis autem dicimus, licere tabellioni hac in re Sapientis officio fungi, non tamen sequitur, ut, si alter eorum, qui contraxerunt, tabellionem recusaret, ueri Sapientis solertia excludatur; quinimmo cum in dubio de eo intelligatur, quem secundum morem regionis Sapientem intelligimus, statim ei, qui talem Sapientem requirat, annuendum censeo. Nec tabellionis prudentiam excludit quod alias diximus de approbatis iuris peritis, & publice etiam constitutis in lib. I. cap. v. de Conf. Sap. in forens. caus. adhib. cum in responsis id locum habeat, quæ pro ferendis sententiis, magistratibus iurisdictionẽ habentibus tradi solent. Pro hoc autem sensu accipiendo, modo contrahentes consentiant, & consuetudo aliqua non aduersetur, Consilium cuiuscunque etiam inter ipsos lectos Sapientes non aggregati, nequaquam respuendum est.

Iureiurando minoris an firmetur electio Sapientis; & quo tempore adhibendum Consilium, si ex lege in contractu sit necessarium. Cap. VIII.

QVEMADMODVM iureiurando minoris contractus uires accipit, ita & multo magis accessoria Sapientis electio firmabitur, ut contractus ipse maiorem uim assumat. auct. sacramenta puberum, ibiq. nota. C. si aduers. uend. c. ii. de pact. lib. VI. & c. cum contingat, de iureiuran. cum & in iudiciis, uniuersisq. hominum negotiis huiusce religionis ratio maxime habeatur. Bar. & Bal. in ea auct. sacramenta. Matth. Afflict. Decis. cccxxii. Cōtra etiam dicemus, sicut nullas uires accipit contractus nullus, utputa a prodigo factus, minus tunc firmam fore Sapientis electionem huiuscemodi cōtractui appositam. Iacob. ab Are. in l. qui habet, §. si pupillus, de tutel. Bar. in l. is cui, de uerb. oblig. eo enim casu iusiurandum non habet tres illos comites, iudicium, ueritatem, & iustitiam, de quibus in c. animaduertendum, xxii. q. ii. Et hæc clara sunt, aliaq. non egent expositione. sed utique uidetur dubium, quo tempore in ipsius minoris contractu adhibeatur Consilium, si ex lege sit necessarium. post contractus celebrationem, dicet quispiam, sufficit Consiliū habere: cum ad Sapientem pertineat conuētionem opportunis clausulis aptare, & in iis, quæ ad rei uim & naturam pertinent, non se impedire, ut late supra cap. i. & ii. dicebatur. Si tamen consideremus notatum a Baldo in l. i. C. qui admitt. in rub. C. de exerc. & in c. ii. de feud. sin. culp. non amitt. quod est, ut consensus consanguineorum, uel Consilium a statuto requisitum ante contractum adhibeatur. l. sæpe, de uerb. signif. c. cum in ueteri, ibiq. Bal. de elect. c. cum olim, de arbitr. contrarium quidem uidebitur, concludendum, ut plane Consilium præcedere contractum debeat: cum accedentes deinde consensus infirmi sint, quando principale nullum est, & si est aliquid, augent

gent

gent tantum effectum rei; si uero præcedunt ipsi rei censentur inesse .glo. in c. indemnitatibus, in §. si qua uero, in uers. a minori, de elect. lib. v i. & in c. et si Christus, de iureiuran. Et ita ego sentio in subiecta lege, cuius mens si spectabitur, cognoscetur, imponi ex ea minori Consilium, non ut Sapiens simplici tantum clausularum contractui conuenientium expositione utatur, sed ob fragilem potius minoris ætatem uariis captionibus expositam l. i. de minorib. unde incongruum non erit Consilium, quod est (ut inquit Cicero in lib. ii. de Inuent.) aliquid faciendi, non faciendi ne excogitata ratio, uel (ut dicitur in l. is qui, §. Diuus, de tutor. & curat.) suasio quædam ad aliquid bene gerendum, sic dictante subiecta materia, pro consensu accipi. Bar. in l. i. §. si plures, de exerc. Panor. & Butr. in d. c. cum olim. Hostien. in c. i. de for. compe. quandoquidem in Consilio ex Ciceronis sententia, nihil temerarium, nihil uarium, & nihil fortuitum est: quod, ita uerisimili legis mente dictante, sequi debebimus, instar consensus. glo. in c. unico, ne sed. uacan. lib. vi. in uers. cum Consilio, c. quisquis præceptis, xiiii. q. i. Ad rem facit quod inquit Felinus in c. scisctatus, §. illiteratus, de rescrip. ex mente Butrii in d. c. cum olim, & si in loco, ubi imperiti iudices eliguntur, statutum sit, eos teneri habere Consilium, intelligitur, ut cogantur sequi, quia Consilium exigi tunc uidetur pro homine (ut ipse ait) insensato. Nec erit inconueniens, ut Consilium ante adhibeatur, instar decreti, quod post actum non interponitur, ac licentiæ, quæ & ipsa actum præcedit. Butr. in c. cum in ueteri, de electio. Innoc. in c. dudum, de reb. eccles. non alienan. Bar. in l. si autem plures, de aqu. pluu. arcen. Videmus enim passim in iure, consilia, quæ huiusce modi personis imponuntur, actum præcedere, uel ipsi actui interponi. l. si minor, de seru. exportan. l. Titium, & Meuium, de admi. tutor. Innoc. in d. c. cum in ueteri, notat. Balb. Decis. cxxiii. Hic etiam placet annotare, ut cũ scribitur instrumentum, curare non debeamus in qua parte exprimatur Consilium, uel apponatur clausula, De

Consilio talis; modo Consilium ipsum ad omnia referatur. c. secundo requiris, de appellat. c. cum dilecta, de rescript. et a prudente tabellione aliquis ordo seruetur, ex quo legis menti sit satisfactum, ex nota. in l. ii. C. ne lice. poten. glo. & Bald. in l. i. C. de tut. & curat. illustr. & l. iii. de lib. & posth. Quod non solum in Consilio pro minoribus ex lege adhibendo annotatum erit, sed & pro tota huius libri materia obseruabitur.

Ea, quæ dicuntur a Sapiente in contractu, sub qua die ponenda sunt. Cap. IX.

CVM publicum documentum ad sensum Sapientis est conficiendum, scire oportet, sub qua die sunt Sapientis uerba a tabellione ponenda, stipulationis scilicet, an uero sensus expositi. quod facile scire possumus, si legatur Bart. in l. illa institutio, de hered. institut. innuens Sapientis uerba sub eo die esse ponenda, quo stipulatio concepta est, ex l. actorum, de re iud. ubi inquit Hermogenes, actorum uerba emendare, tenore sentẽtiæ perseuerante, non est prohibitum. Sed non uidetur mihi id posse ex ea l. sumi argumentum, in qua nulla fit prohibitio, quin uerborum emendatio sub diuerso die fiat, modo sententia semper eiusdem tenoris sit; licet Bartoli opinionem uerã esse existimem, ut ex fictione quadam atque actus continuatione uideantur eodem contextu sensus Sapientis, & contrahentium sententia explanati; sicut fiebat tempore Vrbani V. cum alicui de sacerdotio uacante supplicanti gratificabatur, ea conditione, si inueniebatur idoneus, quando facta examinatione idoneus cognitus erat, dies adscribebatur in litteris Apostolicis, non ea, qua facta fuerat examinatio, sed qua supplicanti concessum erat. Decis. Rotæ DCLXVI. in antiq. facitq. quod tradit Bald. in l. Imperator, de stat. hom. & quamuis etiam dici soleat, non posse tabellionem aliquid habere hodie pro producto, quia speret productum in die crastina: Ang. & Imol. in l. quicquid astringendæ, de uerb. obligat. aliud tamen est

eſt ſi conſideretur quædam, in tota inſtrumenti ſerie, uerborum inſertio, incluſio, & continuatio, quæ eodem tẽpore facta facile præſumitur: ſecus autem eſt, quando a Sapiente declaratur, additur ue aliquid; quia tunc dubium non eſt ſub declarationis, additionis ue die (ut & putat idem Bart.) iuſcriptionem fieri poſſe; quemadmodum ſi aliquid obſcurius nuncupauerit, uel ſcripſerit teſtator, id quoque poſt ſolemnia explanabit, l. heredes, §. quod uero, de teſtam. Nihil enim (ait eodem lex in uerſ. ſed ſi,) nunc dat, ſed datum ſignificat, recteq. fecit, ſi notam poſtea legato adiecerit. ſi pariter arbitrio Neruæ ſocietatem coieris, Neruæ arbitrium die, quo diuulgatur in ſcriptis, redigitur. l. ſocietatem, ii. pro ſoc. & hoc modo iuri conſentaneum erit, quod prius eſt tempore, prius quoque in ordine ſtatuatur. l. ſi quis ex argentariis, §. ſi initium, de eden. Bald. in §. quibus, i. conſtitut. Codic. Ceterũ id omne, quod dicebamus, ea ratione corruere uidetur, quòd in alieni arbitrium collatio a iure improbatur, l. ſi merces, in princ. locat. non corruit tamen, ſi reſpondeatur, ut communiter fit, ſubſtantiam contractus in arbitrium incerti uiri conferri non poſſe, qualitatis uero collationem etiam in ipſius contrahentis arbitrium non prohiberi. l. hæc uenditio, §. pen. de contrah. empt. l. ex ea parte, in princ. cum glo. de uerb. obligat. Vtilitatem autem ex hac prouenire obſeruatione ſatis patet, cum ad rei ueritatem, ac tabellionis fidem perſpiciendam multũ proſit: qui quidem tabellio (ut opinor) cautius egerit, ſi ſemper diem ſcripſerit, quo a Sapiente aliquid dictum, uel perſcriptum, uel mutatum fuerit; ſi quidem, ut omnis remoueatur ſuſpitio, diligens tabellio neque diem, neque horam actus unquam omittit. nota. in c. ſi eo tempore, de elect. lib. VI. & copioſe a Felin. in c. ſi ſcripturam, de fid. inſtrum.

Si Sapiens in dictando biduum consumpserit, quæ dies in instrumento ponenda sit. Cap. x.

QVANDOQVE Sapiens, cum instrumentorũ natura prolixior est, utputa transactionis, uel diuisionis bonorum, ne post contractus explicationem iurgia nascantur, non parum studii, ac laboris impendere solet. iccirco ad biduum quandoque, longiusq. temporis spatium, Sapientis dictatio protenditur. unde oriri potest dubium, quã tabellio diem in instrumento apponat, cum non solum in iure habeamus, cuiuscunque rei initium esse spectandum. l. si procuratorem: in princ. mand. l. si filiusfamilias, de uerb. oblig. sed & temporis actus perfecti, non incohati, esse rationem habendam. l. i. in fin. quod quisque iur. Omne tamen dubium cessat, si legatur Baldus obseruans diem transactionis, uel diuisionis bonorum (quæ a publicatione instrumenti ortum sumit) apponi debere in l. contractus, C. de fid. instrum. & in l. si quis eum, ubi Aretin. de uulg. & pupill. & ut res dubia auctoritate probetur, adducit Baldus Innocentium in c. consuluit. de offic. delegat. qui secundum Alex. in d. l. si quis, nil ad rumbum facit, cum tantum inferat Innoc. (ut inquit Alex.) si die xx. cœptum est instrumentum, & ante mediam noctem perficiatur, non suscipere falsitatis infamiam tabellionem illum, qui die xx. factum fuisse instrumentum scripsit, secus, si post mediam noctem, quia tunc die xxi. inscribi debuisset. l. more Romano, de feri. Ego tamen arbitror Baldum recte adduxisse locum Innocentii, cuius exemplum, de instrumento, ante uel post mediam noctem perfecto, denotat Innocentii mẽtem fuisse, temporis consumati actum attendi debere, cum maxime concludit post mediam noctem diem xxi inscribendam fuisse. Quòd autem in re nostra, conclusio, & actus perfecti tempus inspiciatur, & Alex. ipse concurrit post Imolam in d. l. si quis eum; quod naturali rationi, ac iuri consentaneum est, ut si ad finem non perducatur negotium,

per-

perinde censeatur, ac si nunquam cœptum sit. nimis enim clara, & probata est propositio illa, quæ uult, quicquid agimus, ex momento pendere, ex quo concluditur. Aret. plene in d.l. si quis eum; & facit quod notatur a Bar. in l. ad testium, de testib. Quoòd uero initium spectetur, intelligitur, ut cognoscatur quæ in agendo contrahentium uoluntas fuerit, non ut conclusionis tempus negligamus, a quo (ut probatur in eisdem ll.) omnis contractus substantia uires sumit. & quamuis biduum eius dictatio per durauerit, perinde tamen est, ac si totum publicationis tempore factum sit: quoniam, quod horis continuatis fit, (ut ad aliud propositum dixit Ang. referente Alex. eodē in loco) uno, eodemq. contextu fieri dicitur. l. quod ait, in fi. ad l. Iul. de adulter. l. antiqui, si pars hered. peta. & nos in foro nostro quotidie experimur, cum iudex partium iura, & rationes in actis explicari iubet, si aliquando ob procuratorum negocia hoc non tam cito finem accipiat, finguntur omnia die sententiæ scripta fuisse, quod sumptum est ex iuris communis dispositione: ex qua (ut dictum est) conclusionis, perfectionisq. dies attenditur.

An contractus sit nullus, in quo deficit Sapientis Consilium, quod ex legis, uel hominis dispositione requirebatur. Cap. XI.

NVLLAM esse iudicis sententiam annotauimus, quæ omisso Consilio a lege requisito profertur in lib. IIII. de Cons. Sap. in forens. caus. adhib. cap. i. hic idem eisdem rationibus erit in contractu, si impositum a lege Consilium fuerit omissum. licet Hostiensis contrarium sentire uideatur referente Panor. in c. cum olim; de arbitr. qui aliud in legis, & aliud in hominis dispositione arbitratus est. Nam si in lege id contineatur, non existimauit iccirco actum nullum esse, nisi hoc expresse lex ipsa exprimat. c. quia propter, & c. ne pro defectu, de election. secus uero, si hominis uolūtas Consilium imponat. c. cum

c. cum in ueteri, eod. titu. rationisq́. differentiam reddit, quòd mitius agatur cum lege, quàm cum homine, l. si cũ dies, §. ult. & l. Celsus, de arbitr. Sed ego cum Panormitano contra illos sentire cogor, qui ualidioribus nixus rationibus demonstrat, eum omnino nullum actum esse, cui desit ipsius legis forma: ac inter cetera allegat c. nouit, de his quæ fi. a præ. & l. non dubium, C. de legib. probatissimumq́. in iure est quod dicimus, rem a forma esse recipere. c. sine exceptione, xii. q. ii. & l. si unus, C. de testam. ideo si lex monuerit, ut aliquo in actu, uel ante quicquam fiat, eo neglecto, nullum est ipso iure quod geritur. Bald. in l. i. C. ne lice. tert. Decis. Neapolit. ccclxxviii. Præterea, non ne legis forma superuacanea esset Consilium requirens, si tam facile negligi posset? Nec obiiciatur, parui referre, si Consilium omittatur, ex quo unicuique liberum est apud se explorare an sibi expediat Consilium. quod iure communi & sequi, & non sequi possumus, ut late diximus libro iii. de Cons. Sap. in foren. caus. adhib. cap. xxv. cum nil quidem excuset, quin legis forma seruetur, ea potissimum ratione, quòd Sapiens in contrariam sententiam homines trahere facile posset, sicut arbiter collegam suum. l. si in tres, de arbitr. non obest mitius agi cum lege, quàm cum homine, si quidem hoc minime receptum est quoad actus nullitatem, in qua pro rigore legis seruando durius cum lege agi uidetur, quàm cum homine, Bar. in l. amplius, rem rat. haber. Innoc. in c. ult. de accusation. ideo quæ in fraudem legis facta sunt, ipso iure non ualent, facta autem in fraudem hominis ualent, & ad ea irritanda rescissorio remedio opus est. l. si libertus, de iur. patr. facitq́. quod nota. in l. ea lege, C. de cõdi. ob caus. & ualet argumentũ, si ita dicatur, statuto fieri potest, quod fieri potest per pactũ. l. ult. C. de fideiuss. Alex. cons. clxxxviii. lib. vii. Nemo sane inficiabitur, utilioribus clausularum adminiculis contractum ex Sapientis Consilio munitum fore, quàm si is a solo, ac quandoque imperito tabellione componatur.

Verba

Verba in teſtamento, Valeat ad ſenſum Sapientis, quid efficiant. Cap. XII.

TRANSEAMVS nunc ad ea, quæ circa ultimas uoluntates de hoc noſtro Conſilio ſeruanda ſunt. ſæpe enim cauti teſtatores, ne ultima eorum elogia infirmentur, dicunt uelle ſuam uoluntatem ad ſenſum Sapientis ualere; quod plerunque admonentibus tabellionibus fieri ſolet, intelligentibus non modo teſtatores, uerum etiam ſe ipſos uim uerborum ignorare, quam opinionem Guidonis Papæ confirmat auctoritas in Deciſ. q. DXXXVII. Ac primo generaliter ſciendum eſt, quid uerba, Ad ſenſum Sapientis, in teſtamento efficiant, quam ue ſignificationem habeant, ſicut in contractibus ſupra cap. I. declaratum fuit. Et licet unico uerbo dici poſſet, huiuſmodi uerba eandem uim habere, uel eundem effectum parere, quẽ & in contractibus expoſuimns, præcipua tamen, ac breuis erit hic animaduerſio, quæ ex Bartoli commentariis colligitur, in l. illa inſtitutio, de hered. inſtit. ut ſcilicet ex his uerbis, ſententia teſtamenti, uel legati, in Sapientis perſonam non conferatur, ſed ſimplex tantum dictatio. Ratio eſt, quæ ex ea lege ſumitur, quia quòd ex alieno arbitrio ultima pendeat uoluntas, iura non patiuntur, uolunt nihilominus quempiam poſſe peritiores conſulere. l. ſi auiam, C. de ingen. manumiſſ. notat. in l. iuris ignoram. C. qui admitt. ad bonor. præſertim pro ultimæ uoluntatis compoſitione, ut quod nunquam reuertitur arbitrium in ſupremis tabulis expoſitum ſuſtineatur; quandoque ob teſtatoris tarditatem, uel tabellionis inſcitiam non ſatis explicitum: ut nota. in d. l. illa inſtitutio, & a Ioann. And. add. Specu. de inſtrum. edit. §. inſtrumentũ. uerſ. quid ſi. Ideo Sapiens ex hac uerborum appoſitione poterit prætermittere prætermittẽda, & poſtponere poſt ponenda, rei ſubſtantia non mutata, ita ad uerbum docẽte Baldo in d. l. inſtitutio, referente, & probante Maria. Socin. iuniore conſ. CXLIIII. col. X. lib. I. & declarare, &

addere quæ cum testatoris sensu lex putat congruere, ex quibus mens defuncti secūdum uis duntaxat declaretur, testamentiq. series robur accipiet. Bald. in rub. C. de reuo. his quæ in frau. & in add. ad Spec. in §. sciendum uers. quid si, de empt. & uendit. Præcipue autem quid significationis habeant hæc uerba, quid ue in testamento efficiāt, mox in subsequentibus capitibus ostendemus.

An Sapiens possit ad testamenti confirmationem ponere uerba derogatoria. Cap. XIII.

TESTATOR dixit, Volo hanc esse ultimam meam uoluntatem, & si aliquo tempore contrarium statuero, nullius momenti sit, sed hæc præsens mea ualeat sententia, ex nouissima uero dispositione, in qua ad sunt uerba, Ad sensum Sapientis, contrarium statuit. quæritur an Sapiens ad istius elogii confirmationem possit addere alia uerba derogatoria. Et Iacobus ab arena posse arbitratus est, referente Bart. in l. illa institutio, de hered. instit. ea forte ratione, quia cum ex effectu ipso, mens defuncti appareat aliud uoluisse condere testamentum, clausula, Ad sensum Sapientis, nulla alia ratione uidetur inclusa, nisi ut quod ultimo loco testator uoluit, a Sapientis prudentia corroboretur. At Bart. ipse contrarium censuit (& fuit etiam opinio Oldradi, & Ricar. ut refert Bal. eodem in loco) ex l. si quis, de leg. iii. cum his uerbis, inquit Hermogenes, nemo potest sibi eam legem dicere, ut a priori discedere nō liceat: sed hoc ita locum habet, si specialiter dixerit prioris suæ uolūtatis pænituisse. uerba autem (dicebat Bart.) Ad sensum Sapientis, non adeo specialia dici possunt, ut cognoscatur uoluntatis mutatio, immo generalia sunt, & consequenter obscura. Ioann. And. in §. instrumentum, uers. quid si, de instrum. edit. Decis. Dalphin. q. DXXXV. alioqui in his, quæ facti sunt, Sapiens se impediret, contra ea, quæ in omnibus fere superioribus cap, annotauimus. Vnde Baldus, qui in l. captatorias, C. de milita. testam. prima facie uidetur Iaco-

bi sententiam sequi, in l. illa institutio, dicit adhuc sub iudice pendere quæstionem, nolleq́. opinionem aliquam eligere. Et quamuis meum esset a tanti uiri modestia exemplum sumere, & sententiam meam in hac maxime uarietate opinionum subticere, lege tamen, & ratione ducor, ut Bartoli opinionem ueram esse existimem: præsertim quòd Iacobi animaduersio de testatoris mente eiusdem Bartoli sententiam probat, quæ eodem mentis fundamento corroboratur. Nam uerisimile est, testatorem primam potius uoluisse uoluntatem ualere, cum ex clausula sciret non esse perituram, quàm posteriorem, in qua animi pœnitentiam non expresſit, nec ullorũ magis interest quàm testatorum huiusmodi exemplum non admitti. ar. §. ceterum, instit. de militar. testam. Nec obiiciat quis, testatorem in secundi elogii confectione superuacaneum futurũ fuisse, si primæ uoluntati standum esset. sciat enim, callide testatorem ultimum elogium condidisse, ut forte ab aliquorum insolentia se liberaret, sciens iam derogatoriam clausulam data opera primo testamento inseruisse, cuius clausulæ uirtus, nisi manifesto aliquo uolũtatis indicio contrarium appareat, est omnino spectanda. Dyn. in c. quod semel, de reg. iur. lib. vi. eisd. Decis. q. cxxviii. alioqui (ut eandem rationem retorqueamns) superfluerent uerba derogatoria, supremaq́. læderetur uoluntas iam satis declarata ex prima testantis protestatione, quæ sine dubio procedit, nisi ex præcipuis, particularibusq́. uerbis expresse animi pœnitentia liqueat. glo. in l. si mihi, & tibi, §. in legatis, de leg. i. not. in l. i. C. de sacro. eccles. Indicia autem pœnitentiæ manifesta sunt, si iurauit in secundo testamento, si post primum iniuriam receperit ab herede, si secundum sit actis insinuatum, & similia, quæ memorant Bald. & Saly. in l. sancimus, C. de testam.

An relictis filiæ centum nummis, Ad ſenſum Sapientis, addi poſſint uerba, Iure inſtitutionis, aliud ue quicquam. Cap. XIIII.

LONGA inter iuris interpretes fuit altercatio, an Sapiens uerba, Iure inſtitutionis, addere poſsit, cum filiæ centum nummi relicti ſunt ex eo teſtamento, in quo clauſula, Ad ſenſum Sapientis, poſita eſt. Iacobus ab arena, & Bart. ſicut in ſuperioris capitis quæſtione uaria ſenſere, ita & in hac ſatis probabilibus argumentis contrarii fuerunt, in l. illa inſtitutio, de hered. inſtit. uidendum eſt igitur quæ fuerit utriuſque ſententia. Iacobus cenſuit additionem hanc fieri poſſe, & magna pro eo urget ratio, quæ eſt, iure uideri prouiſum ut ex ueriſimili teſtatoris mente, uerbum, Relinquo, ad heredes inſtitutionem trahatur, l. his uerbis, cum glo. de hered. inſtituen. §. ſi uero nulla, in auct. de hered. & falcid. eoq́. magis ſecundum eum poterit Sapiens ipſius iuris declarationem exprimere: quæ etiam (quod magis eſt) interdum a lege ſubintelligitur. l. iii. C. de inoff. teſtam. & l. ult. de hered. inſti. immo uniuerſalis regula eſt, ſubſtantiales qualitates, & conditiones facile ſubintelligi. l. ſi libertus, ii. de oper. libert. c. ueniens, & c. Quintauallis, de iureiuran. maxime quòd ita res dubias interpretamur, ut actus potius ſubſiſtat quàm corruat. l. quoties, de reb. dub. ac in teſtamentis præcipue, in quibus uberior fieri ſolet interpretatio. l. in teſtamentis, de reg. iur. æquum eſt enim teſtantibus hominibus ſubueniri, ne ſuprema eorum arbitria infirmentur quæ, ut conſiſtant, multum Reip. intereſt. l. Gallus, §. quid ſi is, de lib. & poſth. not. in l. quoties, C. famil. hercisc. alioqui ſuperuacanea eſſent uerba, Ad ſenſum Sapientis, a teſtatore expreſſa, quod lex in ſupremis tabulis minime præſumit. l. ſi quando, de leg. i. & id eo magis uerum eſt inter liberos, inter quos ſufficere uidetur quodcunque uoluntatis indicium. l. ult. C. famil. herciſc.

&

&l. hac consultissima, §. ex imperfecto, C. de testam. Bartolus tamen contrariam sententiam ueriorem putat, ea ratione, quòd illa institutio non recipitur a iure, quæ non est uerbis scripta, nec a testatore expressa. l. iubemus, C. de testam. sed hic nulla est facta expressio, quia lecto testamento non inuenitur, l. uxorem, de manumiss. testam. l. fideiussores magistratuum, de fideiuss. cum aliis, ergo nulla declaratio, seu additio fieri poterit. At si diceres sufficere expressionem factam esse habita relatione ad aliud, l. asse toto, de hered. instit. & l. institutio talis, de condit. institu. ut in sententia declaratum est a Butrio in c. cum uenerabilis, de religio. dotib. responde, uerum esse, quando id potest contineri, habita relatione ad aliud explicandum per testatorem, siue ad iam explicatum. l. hoc articulo, de hered. instit. & non ex relatione ad aliud de futuro ex uoluntate alterius. l. si quis ita hæres, eod. titu. l. de his quæ pro non script. & si diceretur relictum alicui, intelligi debet relictum boni uiri arbitrio, l. i. de leg. ii. nil ualet, quia uana esset lex, quæ hoc requirit expresse in §. aliud quoque capitulum, in auct. ut cum de appell. cognosc. Opponitur etiam illud quod a Bar. traditum est, si testamentum, in quo aliquid deficit, propter quod est ipso iure nullum, a testatore mutari non potest, nisi est integro omnia solemniter fiant, l. heredes palam, §. si quid, de testam. quomodo id Sapienti licebit, quod est ipsi testatori prohibitum? respondetq́. Bart. ad illud de institutione subintellecta, locum sibi uendicare in uniuerso patrimonio, non in singulari relicto. l. cogi, §. & generaliter, ad Trebellian. l. omne uerbum, C. commu. de legat. quid est igitur in re tam ambigua, in qua tam magni uiri discrepant, dicendum? in qua aliquantulum immorabimur, ut rationibus utrinque collatis ueritas dignoscatur. Ioannes Andr. sequitur Iacobum in d. uers. quid si a contrahentibus, de instrument. edit. inquiens, illius opinionem, maximam in se continere æquitatem, quia sæpe testatores filiabus relinquunt, ac, ne solemnitas aliqua omittatur, subdunt, ut habeatur Consilium Sapientis; qui quidem

quidem Sapiens tanto tutius huiusmodi uerba addere poterit, quanto facilius uerbum, Relinquo, institutioni aptari solet. gloss. in §. & hac quidem, in auct. de heredib. & falcid. l. antepen. de testam. nimis enim durum esset, ut testamenta uulgarium subuerterentur, qui, nesciunt aliter loqui, quàm per uerbum relinquo. Bald. in l. quotiens, C. fami. hercisc. qua ratione sanctissimæ leges ipsæ crassum modum loquendi in aptiorem partem interpretantur. l. ult. in princ. C. de testam. Bald. & Saly. in l. captatorias, C. de milit. testam. inspecta quidem qualitate personarum, ac testatoris mente, l. qui iure militari, de milit. testam. l. ab omnibus, in princ. de leg. i. Roma. cons. iiii. cum si. Qua in re me ualde cogitantem ratio ipsa in Iacobi, & sequacium æquissimam sententiam duxit, ut satis clara mihi uideatur mens defuncti nescientis nisi pingui Minerua loqui, ac uolentis iuxta iuris dispositionem elogium condere; qui ex clausula, Ad sensum Sapientis, nil quidem aliud innuere uoluit, nisi quod Sapiens ita ipsius testatoris uoluntatem secundum iura cōponat, sicut ipsemet testator faceret si iuris terminos non ignoraret. Maria. Soci. iuni. cons. cxxiiii. col. x. lib. i. Card. cons. lx. non addit Sapiens ex hoc quicquam in facto, sed duntaxat ordine, ac uerbis corroborat sententiā mentis. & hæc est absque dubio crebrior omnium interpretum opinio. Imo. in l. i. §. si ex fundo, col. xii. de hered. instit. & in c. ex litteris, ubi etiam Felin. de fid. instrum. Quod uero distinguit Bar. inter uniuersum patrimonium, & singulare relictum id forte posset locum habere, in ea generali disputatione, quando nō esset adiecta clausula hæc, Ad sensum Sapientis, sed quando est adiecta clausula, quadrabit utique Baldi ratiocinatio, in d. l. captatorias. Nā aliquid omnino omissum Sapiens non includet, implicitum autē explicabit instar eius, qui excutiens spicas, non nouam speciem facit (ait Gaius) sed eam quæ est detegit. l. adeo, §. cum quis, in fin. de acquir. rer. domin. nec procedit argumentum, testatorem ipsum non posse mutare testamentum, nisi ex integro omnia fiant,

quo-

quoniam non mutat quicquam Sapiens, sed declarat id quod sensit testator a principio: ut Ioannes And. Bald. & reliqui existimarunt. Non negat tamen Bar. ex hac clausula omnia præter institutionem addi posse, ex d. l. i. de leg. ii. ideo si de uoluntate defuncti constet uoluisse legata deberi, poterit absque dubio Sapiens codicillarem clausulã includere. Bald. in d. l. captatorias. Card. cons. xx. Sed animaduertet, ne, quod dici solet, sapiat plus quàm oportet sapere, ultra mentem aliquid addendo, ueluti substitutionem, fidei commissum, uel conditionem, quia & non ualeret quod ageret, & absque sapientia se Sapientem præseferret; nisi conditio ex iure penderet, utputa, conditio, cum iure capere poterit, ei, qui apud hostes est. l. impuberem, §. i. ad l. Cornel. de fals. uel nisi ita uoluisse testatorem ex aliquo coniiciamus. l. pediculis, §. Labeo, de aur. & arg. legat. l. Publius, §. i. de cond. & demonstra. Nos enim (ait Iustinianus in d. l. omne,) non uerbis, sed ipsis rebus legem imponimus. Illi uero, quorum intererit curabunt, ut iudex hac in re adamussim cognoscat, quid Sapiens addere, declarare ue possit.

An tabellio incidat in falsum, si, quæ scripsit uerba, iuri aduersentur; & quid in Sapiente. Cap. xv.

A SAPIENTE electo uigore clausulæ in testamento appositæ inseruntur quandoque uerba, quæ potius naturæ testamenti, ac uoluntati testatoris aduersantur, quàm ut quicquam opitulentur; quod nihilominus non facit ut is tabellio, qui scripsit, mandato Sapientis falsi crimen incurrat. Bald. in l. captatorias, C. de milit. testam. si enim tabellio, testatore defuncto iuxta eius uoluntatem Sapientem consulendo, caute, ac bona fide se gerit, l. in bonorum. de bonor. poss. l. si auiam, C. de ingen. manum. nulla ratione ex hoc officio damnum aliquod sentire debet. l. si seruus communis, §. quod, uero, de furt. l. sed & si quis exsignat; quẽadmod. testam. aper. alio qui,

qui, si tabellio falsum incurreret, damnum ue aliquod pateretur, cæteris omnibus deterioris esset conditionis, & tamen adeo pro eo iura præsumunt, ut eius uerba non aliter intelligantur, quàm cogitauerit ille, a quo rogatus fuit. Guid. Papæ in Decis. q. cxxix. Felin. plene in c. ex litteris, de fid. instr. & licet non excusentur tabelliones si dicant, se non credidisse contractum, de quo scripserũt instrumentum esse a iure damnatum ut nota. in l. generali, C. de tabu. lib. x. & Decis. Dalph. q. ccccxxxiii. hac tamen in re satis fuit ipsi tabellioni, si pro executione uerborum testamenti, approbatum aliquem iurisperitum inuenerit, ut supra cap. vii. dictum est. approbatio nanque præcedens legitima est excusatio, Innoc. in c. cum uenerabilis, de exception. propterea consuluit Baldus ut tabelliones ascribant, de Consilio cuius uerba apponunt, ne quicquam eis unquam imputari possit. Sed nec ipse quidem Sapiens tenebitur ex mente eiusdem Baldi, cum ille non dicatur hæreticus, qui in dubiis articulis, ac ubi disceptatio est inter maiores, opinionem eligit, quæ sibi magis placet. Innoc. in c. ne innitaris, de consti. & non præsumitur ex sententia Ciceronis lib. 1. Acad. quæstio. Sapientem uelle assentiri rei falsæ, uel incognitæ. Quod a Felino probatur, & declaratur etiam excusari tabellionẽ in consistentibus in iure, non in iis quæ factum concernunt, in d. c. ex litteris, propterea quòd facti ignorantiã tabellio prætendere non potest, l. eum quem temere, §. i. de iudic. Bald. in l. contractus, col. ii. C. de fid. instr. nec illud quidem prætermittam, id declarari posse, non procedere in tabellione, qui Sapientem a testatore electum non assumpsit. ar. l. ult. C. de contrah. empt. l. si merces, ii. respons. locat. l. hæc quæ necessario, §. ideoq., C. de no. Codi. facien. & præcise in hac materia hoc idem considerarunt alii, referente Ioanne Andr. ad Spec. §. instrumentum, in addit. incip. redeundo, de instrum. edit. atque declarabitur, ut ipse etiam Sapiens, qui contra ius dolo instrumentum dictauerit, pœna legis Corneliæ de falsis teneatur. l. uerum, §. tempus, pro soc. l. quidam

deceden s

decedens, in princ. de administr. tutor. iuncto Baldo in l. iubemus, in fin. C. de sacr. eccles.

Quid agendum, si in formando testamento plures Sapientes, sic mandante testatore, electi, uarie sentiant. Cap. XVI.

TIMIDVS testator, ne suprema eius infirmetur uoluntas, mandauit plurium Sapientum Consilio eius testamentum aptari, sequens in hoc Consilium Speculatoris in §. nunc tractemus, de aduocat. & Bar. in l. Imperator, de stat. hom. Interdum accidit non solum uarias, sed quandoque diuersas, sibiq. inuicem aduersantes consultantium esse sententias, ut inde quæratur secundum cuius opinionem testamentum formari debeat. In assumptione iudicialis Sapientis, quādo ex pluribus, in quibus partes conuenerāt, unus tantum est eligendus, & cum Sapientes inter se dissentiunt, considerauimus doctrinam, ac ætatem, parem, ac maiorem numerum Sapientum. lib. III. de Cons. Sap. in forens. cau. adhib. cap. IX. & XXVI. Hic quoque, ne sine præcipua obseruatione locus iste pertranseat, ac ad eorum confirmationem, quæ in supra citatis locis dicta sunt, dicemus formandum esse huiusmodi testamentum secundum sensum iurisperitorum maioris auctoritatis, ut docet Matth. Metthesil. in fi. tracta. de elect. per. opin. quoniam hominum opinionem, non numero, sed auctoritate metimur, sicut maiorem partem creditorum appellat Papinianus pro modo debiti, non pro numero personarum. l. maiorē, de pact. quod tamen ab eodem Mattheo declaratur, nisi numerus esset duplo maior. tunc enim a sentenia maioris numeri non esset recedendum, quo casu cessat illius auctoritatis præsumptio, atque alia insurgit. c. si quando, de elect. lib. VI. not. in c. ecclesia, ii. extr. eod. eoq. magis, cum auctoritatis par est conditio, maior numerus præualebit. d. l. maiorem, c. prudentiam, de offic. delegat. & c. quia propter, de elect. Hinc passim uidemus, ex ampliori nume-

ro, omnem de medio tolli difficultatem. Nam si in remittenda parte debiti creditores dissentiant, Prætor decreto suo sequitur maioris partis uoluntatem, l. & suum, §. ult. de pact. atque in Concilio Neapolitano, uariantibus iurisperitis, ex optatis maioris partis pronũtiatur. Decis. i. quod in multis quoque decisionibus Rotæ uidere est. Etenim Auditor Rotæ in prolatione sententiæ dicit, de consilio aliorum Coauditorum pronuntiare, tametsi maior pars tantum in opinione fuerit, & ut aliquæ habeantur. uide Decis. clvii. DCCXLIIII. & DCCL. in antiq. ex quibus etiam regulam sumimus pro maiori numero in dubio semper præsumi. Bar. in l. si uni, de re iudic. Panor. in c. ecclesia uestra, in tertio nota. de electio. Nec omittendũ est argumentum Baldi in c. ult. de re iudic. quòd si duo consultores electi fuerint in casu dubio, & unus consuluit substitutionem directam, alter obliquam, standum esse consilio consulentis directam. quia directa substitutio fauorabiliter est obliqua. l. coheredi, §. cum filiæ, de milit. testam. l. ex tribus, C. de inoff. testam. quamuis concludat Baldus ipse iudicem eligere posse opinionem, quæ sibi magis placet, ex l. duo iudices, cum Bar. de re iud. Addo etiam, si testator iusserit haberi consilium collegii, non solum sufficere maiorem Sapientum partem, sed posse (ut opinor) qui præsentes erunt, absentibus non uocatis negotio finem imponere, a firmiori ratione, quæ sumitur ex Innoc. Hosti. Panor. & Card. in c. i. de his, quæ fiunt a maio. part. Capit. & in Decis. Dalphin. q. clx. Quod tamen uerum erit, si maior pars collegii præsens fuerit, uel si statutus, legitimus ue collegii numerus extiterit. c. licet, ibiq. glo. de electio. & c. si transitus, lxxix. distinct. Si igitur aliquis exemplo illius testatoris, cuius meminit Iaboloneus in l. cum ex filio, de uulg. & pupill. plurium consilium adhiberi uoluit, quandoque Sapientum auctoritati, & quandoque numero iuxta expositam distinctiodem tribuemus.

Quomodo

Quomodo ostendetur error in die, & substantia consilii; & præsumptio quæ fiat in consilio dubio. Cap. XVII.

QVIA ueritas rerum (ut inquit Vlpianus) erroribus gestorum non uitiatur, l. illicitas, §. ueritas, de off. præsid. non ab re hic annotabimus, si errasset tabellio in die consilii, uel etiam si errasset in substantia consilii, huiusmodi errorem, si ex actis cognosci potest, per actorum inspectionem demonstrari. Bar. & Bald. in l. errores, C. de erro. aduocat. Sebast. Vant. in tractat. de nullit. process. in titu. de nullita. ex defect. process. nu. cxxx. si uero ex actis cognosci non potest, testium fide probabitur, & duo sufficient, tam ad ueritatem diei, Bar. Bal. & Saly. in l. errores, C. de testam. Decis. Dalphin. q. cxxx. quàm ad ueritatem substantiæ ipsius consilii. Cyn. in d. l. errore, Innoc. in c. quoniam contra falsam, de probat. eisdem Decis. q. Diiii. ea ratione quia certus numerus testium non est determinatus, l. ubi numerus, de testib. alioqui certo præfixo numero, ut in probando testamento septẽ, in probandis codicillis quinque, non minor quantitas requireretur. l. ult. C. de codicill. Bart. in l. cum proponebatur, de legat. ii. licet ad probandam eorum solemnitatem etiam ad testamentum necessariam lex duobus contenta sit. Castr. ibi. ac Alex. consſ. xiiii. in uer. septimo est attendendum, lib. VI. quibus casibus pro tabellione maxima a iudice fiet præsumptio; cuius sane iudicis auctoritas in correctione ipsa exigetur. Spec. in §. postremo, §. sed nunquid, de instr. edit. & Bart. in l. Imperator, de stat. homin. quando autem non error, sed dubitatio inest, quæ præsumptio fiet in consilio dubio? fiet quidem ut consilium plenum prudentiæ, & fidelitatis censeatur, & ut quàm fieri poßit iuri communi conueniat, ut puta, si instrumento explicasset Sapiens, promisisse patrem pro filia nomine dotis de bonis suis, de bonis patris intelligetur, quia patris officium est dotare filiam, l. ult. C. de

dot. promiſs. & ſi centum aurei expreſsi fuerint, de his, qui minus ualent, intelligetur, ſi neque ex conſuetudine patrisfamilias, neque ex regione unde fuerit, neque ex contextu teſtamenti poſsit apparere. l. nummis, de leg. iii. & ſi bonum, ac malum conſilium diiudicari poſsit, ſemper bonum præſumetur. Bald. in l. i. uer. & no. quòd conſilium, C. de ſeru. fugit. Hinc quilibet præſumitur bonus, idoneus, bonæ fidei poſſeſſor, mitius delinquens, ſalutis æternæ memor, ſpontaneusq́. geſtor; ut abunde notat Alciat. de præſumpt. reg. iii. Item nunquam præſumetur in dubio ut Sapiens ex Conſilio uoluerit ſibi ipſi præiudicare, c. in præſentia, de renuntia. Deciſ. Neapol. cccvii. fietq́. plena interpretatio in ultimis uoluntatibus, ac aliis fauorabilibus, ſtricta autem in odioſis. l. in teſtamentis, de reg. iur. c. odia, eod. titu. lib. vi. atque aliis in locis curioſus alias præſumptiones colliget, exempli gratia, ex l. merito, pro ſoc. & Bald. in l. ii. C. an ſeru. ex fact. ſuo. Et quia omnia, quæ aguntur, eodem legis præſcripto conſtitui non poſſunt, de ſimilibus ad ſimilia procedere poterit, iuxta Iuliani præceptum in l. non poſſunt, de legib. cuius loci materiam Fab. Quintil. declarat lib. vii. ubi de ſyllogiſmo, & ratiocinatione loquitur.

An tabelliones, & partes ſequi cogantur Conſilium Sapientis. Cap. XVIII.

SICUT, quando iudex in ferenda ſententia Sapientis conſilium ſequi cogatur, explanatum eſt lib. iii. de Conſ. Sap. in for. cauſ. adh. cap. xxv, ita nunc uidendum erit quid in tabellione, & partibus, idq́. pro teſtamentorum, uel contractuum confectionibus: quæ res licet ex eodem fomite totum fere lumen accipiat, nominatim tamen hic, & pro ultimis morientium teſtationibus, & pro contractibus, tabellionis perſona conſiderabitur. Pro teſtamento hæc una conſideratio omnem dubitationem tollet. Tabellio, ſiue tempore quo teſtamentum conditur, ſiue mortuo

mortuo teſtatore, in iis, quæ iuris ſunt, Sapientis ſententiæ adhærebit, non in iis, quæ ad ſuum ſpectant officium. Alex. add. Bar. cum aliis, in l. illa inſtitutio, de hered. inſtit. nota. in l. captatorias, C. de teſta. milit. modo in electione formam a lege, conſuetudine ue inductam non neglexerit. l. cum hi, §. ſi prætor. de tranſact. iuncta l. ſi de interpretatione, de legib. Nec eſt quidem dubium in his, quæ a iure pendent, Sapientis admonitioni acquieſcendum eſſe, licet in iis, quæ ad tabellionis officium pertinent, aliud dici debeat. Bald. in l. contractus, C. de fid. inſtrum. Felin. in c. ex litteris, extr. eod. Pro contractu idẽ dicemus, quod & in ultima uoluntate diximus, ex omnibus antedictis auctoritatibus, atque ex maxima affinitate, quæ eſt inter ea, quæ inter uiuos fiunt, & quæ in ultima uoluntate diſponũtur. §. ult. Inſti. quib. ex cauſ. manu. Bar. in l. ſeruum filii, §. eum qui, de legat. i. Quo uero ad contrahentes, & teſtantes ipſi cogentur, cum ſine eo & conuentiones, & ultima elogia perficere facile potuiſſent. l. i. de pact. l. i. C. de ſacro. eccl. niſi tamen conueniſſent contrahentes, ut a Sapientis ſenſu recedere non liceret: quibus pactionum ſuarum obſeruationem Prætor pollicetur. l. iuriſgentium, §. Prætor ait, de pact.

An Sapiens, uel tabellio Sapientis officio fungens, pro ſenſu in teſtamento, uel contractu interpoſito obligetur. Cap. XIX.

Cognita utriuſque iuris regula eſt, neminem ex Conſilio obligari. l. conſilii, de reg. iur. c. nullus, eod. titu. lib. VI. Ratio eſt, quia unuſquiſque accipere, ac reiicere Conſilium poteſt. l. ii. manda. Fallit tamen regula, ſi Conſilium fraudulentum fuerit, quo caſu tenetur qui Cõſilium dat, d. l. conſilii, & d. c. nullus. Et forte procedit illius, qui Calliſtratũ accuſabat, opinio apud Ariſt. lib. I. Rhet. cap. XX. ut plus peccaſſe uideatur qui malum Conſilium

filium dederit, quàm qui male fecerit. in qua quidem uniuersali regula, & exceptione comprehenditur Sapiens noster, uel tabellio Sapientis officio fungens, ut censuit Specul. de requis. cons. uers. consiliarii. ubi etiam notat, Sapientem, qui dolose consuluerit, non solum ordinaria doli actione, & ad quanti interest, teneri, ex d. l. consilii, & d. l. quod si, & l. arbitrio, §. dolo, de dol. sed & officio priuari, ac uti falsum consultorem excommunicari posse, ex c. nouerit, & c. grauem, de sentent. excom. atque infamiæ notam statim incurrere. c. si aduersus, & c. excõmunicamus, §. credentes, de hæret. Præterea, non ne Sapiens si per imprudentiam, quæ culpæ annumeratur, consuluerit litem suam faciet, sicut iudex? l. ult. de uar. & extraord. cognit. §. imperitia, Instit. de leg. Aquil. gloss. in c. ad aures, de æta. & qualita. non faciet profecto secundum eundem Spec. opinantem ei adscribendum esse, qui indocto consultori rem consulendam commisit, quemadmodum ei adscribitur, qui rem custodiendam negligenti amico tradidit. §. præterea, Instit. quib. mod. re contrah. oblig. ac ei imputatur, qui negligenti, uel male consulenti aduocato causam commisit. Bar. in d. l. ii. facitq. l. idéq., §. si quis ea, manda. Quam opinionem puto ueram ea ratione, quia pro hoc sensu accipiendo (ut supra cap. VII. dicebatur) non habetur ratio collegii, nec attenditur publicus conscriptorum ordo. et quamuis dicat Cicero, iudicis, & iurisconsulti de iure respondentis par esse periculum, cum fieri non possit, ut aliud iudicari de iure, & aliud responderi oporteat: non tamen in utriusque persona eadem perpetuo procedit ratio, quoniam tenetur iudex licet in controuerso, & uario iure iuste iudicare: respondens autem, nisi contra certum, uel apertum ius consuluerit, litem suam minime fecisse dicetur, ut declarat Claud. Cant. in lib. de offic. iudic. cap. iii. num. XXV, & XXVI. maxime si ius ita clarum esset, ut id omnes intelligerent. tunc enim Sapiens dolo non careret. l. late, de uerb. signif. iunct. l. quod Nerua, deposit. Ceterum, si ex consuetudine, uel assumentis placito ex publice constitu

tis

tis electio fieret, ea ratione cessante, atque alia uigente, censeo electum instar iudicis, ac illius consulentis, qui pro ferenda sententia assumitur, de imperitia teneri, ex d. l. ult. & l. ii. quod quisq. iur. & notatis a nobis lib. I I I. de Cons. Sapien. in forens. caus. adhib. cap. x xiii. De tabellione autem non fungente officio Sapientis erit certa regula, ut in iis, in quibus Sapientem sequi cogitur, tabellio ipse non obligetur, ut probatur ex notatis a Baldo, Felino, & ceteris superiori capite adductis. Sed si tabellio pericula, ac suspiciones euitare uoluerit, ex Sapientis sensu, totam instrumenti seriem cum omnibus suis clausulis conficiet antequam instrumentum publicet, ita admonente Ioanne Grassi. ex nota. in l. fideicommissa, §. i. de lega. iii. in tracta. de substantialib. procura. uers. dictamen, licet in re præsenti de sensu Sapientis pro contractu, uel testamento conficiendo regula sit, ex tali Consilio nec Sapientem, nec tabellionem teneri.

Consilium a pluribus eiusdem sententiæ datum circa idem factum, an dicatur esse unum, uel plura consilia. Cap. xx.

NOVISSIMO loco quæro, cum a pluribus eiusdem sententiæ circa eandem facti propositionem Consilium datur, an dicatur esse, unum, uel plura consilia. Et respõdendum erit unum censeri Consilium ex uerbis Pauli in l. si familia, de iurisd. omn. iud. ibi, si dolo malo curauerit, ut ab alio album corrumperetur, quia tunc unum Consilium fuit, non plura facta. Et clare ibi notat Bart. pluriũ Consilium circa unum, ac idem factum unicum esse, instar deliberationis, seu Consilii familiæ, ut ab alio album corrumperetur, quod unicum est, l. illud, ad l. Aquil. Confirmo ex uerbis Pontificis, dicentis, plurium iudiciũ integrum existimari in c. prudentiam, de off. deleg. & ex eo quod ibi notat Panor. scilicet magis præsumi pro Consilio unius collegii, quàm pro Consilio unius tantum Sapientis. hæc enim uerba ita singulariter prolata Consiliũ unicum

unicum censeri demonstrant, sicut & unica est sententia a pluribus iudicibus facta. l. Pomponius, & l. duo ex tribus, de re iud. l. si pars, de inoff. testam. Quod & in plurium arbitrorum sententia obsernari potest ex l. item si unus, §. item si plures, & prope fin. & in l. diem proferre, §. si plures, de arbitr. & quamuis unusquisque propter uniuscuiusque uoluntatem puniretur, si omnes dolose con sulerent, l. si quis id quod, de iurisd. omn. iudic. non tamen hoc obstat quominus unum censeatur. d. l. si familia, in fin. de iurisd. omn. iudic. Huic sententiæ adstipulari ui detur & Alciat. lib. II. Paradox. cap. XVI. dicens, quicquid uno Consilio a familia fit, unum factum esse, quicquid pluribus, plura. Et licet prædicta locum habere uideantur in seruis, qui unum corpus repræsentant, & (ut inquit Baldus) in familia, quæ est nomen collectiuum, l. si plurium seruus, ii, de noxa. action. Bald. in d. l. si familia, idem tamen erit in liberis hominibus, quorum unanime Consilium unicum est. l. semper, §. si in sepulcro, quod ui, aut clam. Bald. in d. l. si familia, col. ult. uers. quarto dicitur. Vnicum quidem censebitur huiuscemodi Consilium, licet a pluribus traditum, & quandoque diuersis rebus, ad unum nihilominus effectum tendentibus, instar stipulationis. l. si heredi plures, de condit. institut. Bart. in l. scire debemus, de uerb. oblig. Eodem pertinet quod ex Plinio iuniore colligit Budæus in l. ult. de senator. cum tres iudices fingit, & horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolui. Postremo, quia quando Consilium dicimus, comprehenditur, ut obseruat Bar. in d. l. si familia, actus consultoris, & eius cui consulitur in recipiendo, dici, & magis quidem explicite poterit quoad eos qui Consilium recipiunt, unum esse factum, & Cõsilium: quo uero ad consulentes, unum esse posse Consilium, & plura facta; quod demonstrant signa, & subscriptiones quandoque in consulentibus requisitæ, & a nobis declaratæ lib. III. de Cons. Sap. in forens. caus. adhib. cap. XXV. nisi tamen separatim petitis Consiliis, & non communicatis opinionibus, & consultores separatim di-

uersi

uersis temporibus consulerent; tunc enim plura essent Consilia, sicut & plura sunt dicta testium in depositione ueritatis. Bart. in l. damni, §. Sabini, de damn. infect. & Ang. in l. qui hominibus, de seruit. urb. præd. Hæc etiam libenter elaborauimus, ne uoluntas hominum sperato fraudaretur euentu. minus enim peccaretur, si certam doctrinam omnes tenerent; quæ ad sensus nostros explicandos, atque testandos adhibita, omnem prorsus interpretationis ambiguæ, aut contrariæ tolleret occasionẽ. quòd si hoc libello erimus assecuti, nullum præterea fructum, aut præmium exoptamus.

CAPITA LIBRORVM QVATTVOR DE CONSILIO SAPIENTIS IN FORENSIBVS CAVSIS ADHIBENDO.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

Cum

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

Si

an

KK CA-

CAPITA LIBRI DE CONTRACTVVM, ET VLTIMARVM VOLVNTATVM COMPOSITIONE AD SENSVM SAPIENTIS.

An

INDEX RERVM MEMORABILIVM PRAETER EA, QVAE EX TITVLIS CAPITVM INDICANTVR.

expla-

confi-

Consuetudo

tero

dissentientes.

Offi-

Sigillo

Errata	correctio.
char. 8. a. uer. 6. mercatore	mercator.
9. a. 10. reg. iur.	orig. iur.
9. a. 21. quæ agriculturæ,	quæ de agriculturæ
10. a. 19. iuſtiores	inſtitores
10. b. 19. urgent	urgeat
10. b. 1. excitandos	excitandos præcipit
11. b. 4. ipſo non	ipſo feudo non
12. a. 32. ſecundum	ſecundam
12. b. 6. xxxviii.	xxviii.
16. a. 20. iis ſcilicet,	iis ſcilicet locis
17. b. 11. Conſt. eod.	Conſt. Cod.
17. b. 28. inuenitur,	inuehitur
17. b. 30. etiam uero,	etiam de uero
20. a. 2. quorum,	duorum
20. a. 25. tabulariis non,	tabulariis ſolis non
22. a. 9. ii. caſu	Secundo caſu
22. a. 16. iudex, uel	iudex eſſet, uel
22. a. 32. a Balbo	a Baldo
22. a. 34. ſiet	fiet
23. a. 14. cite,	tacite
24. a. 6. §. auct.	§. i. auct.
24. a. 18. ſacratæ?	ſacratæ,
25. a. 12. recidit	recedit
26. a. 13. agnoti	agnati
27. b. 5. municipium	municipum
32. a. 33. in ſe	in re
35. b. 27. notet	nocet
37. a. 26. canditores	conditores
37. a. 28. petentium ue	potentium ue
38. a. 5. §. de euict.	§. i. de euict.
38. a. 24. contra Sapientes,	contra Sapientis
40. a. 10. eccleſiaſticarum	eccleſiaſticorum
40. b. 26. ſimilia	& ſimilia
42. b. 23. non quo	non quòd
45. b. 3. utile ent	utile erit
46. b. 35. Deciſ. viii.	Deciſ. q.
50. a. 14. legimur	cogimur
50. b. 19. in c. de conſti.	in c. i. de conſti.
52. b. 10. alicuis,	alicuius
56. a. 22. at is qui	ac is qui
56. b. 26. his ero	hoc ero
59. a. 9. dignitatem	dignitatum
62. b. 25. de indi.	de iudi.
62. b. 26. tua	ſua
68. b. 6. apertis	a petitis
71. b. 29. pronunciatio	pronuncio
73. a. 31. dixerit	dixit
77. a. 33. iuriſconſulto	iuriſconſulti
77. b. 6. eſt, non iudici	eſt, iudici
79. b. 3. in Italiam	in Italia
82. a. 11. ſed in arbitri	ſed & in arbitri.
82. a. 32. ctis,	actis
85. a. 10. non alterius	cum alterius


Errata		correctio.
85. b. 28.	eum ſicut	quia ſicut
85. b. 29.	ipſe, electioni	ipſe, eum electioni.
87. b. 12.	C.	§
92. b. 29.	indicem	iudicem
93. a. 12.	iudicari	iudicaui
99. a. 27.	Sapientis	Sapientes
100. b. 30.	ſuſpenſionibus	ſuſpenſionis
108. a. 19.	ego	Vgo
108. a. 20.	CCXV.	CCXCV.
111. a. 26.	uer. diuiſ.	rer. diu.
111. b. 11.	§. inſtit.	§. i. inſt.
114. a. 11.	faciendi ne	faciendi ue
114. a. 23.	& ſi in loco,	ut ſi in loco
115. a. 9.	eodem lex	eadem lex
116. a. 5.	Quoòd	Quòd
117. b. 2.	uis	ius
117. b. 2.	q. DXXXV.	q. DXXXVII.
119. b. 33.	eſt integro	ex integro
121. a. 24.	per. opin.	uer. opin.
121. b. 14.	iudic. quòd ſi duo,	iudic. ſi duo
121. b. 18.	fauorabiliter	fauorabilior
123. a. 17.	ipſi cogentur,	ipſi Conſilium Sapientis ſequi non cogentur.


REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL.

Omnes ſunt quaterniones.

VENETIIS, M. D. LX.






RACCOLTA NENCINI
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
I
6
25